AUTHOR:
SCHMIDT, MAXIMILIAN

TITLE:
COMMENTATIO DE THEOPHRASTO RHETORE

PLACE:
HALIS SAXONVM

DATE:
1839

Master Negative #

92-80749-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schmidt, Maximilian,
...Commentatio de Theophrasto rhetore... Halis Saxonvm, formis expressvm Orphantrophei, 1839.
64 p. 21½ cm.

At head of title: Ad scholae Latinae in Orphanotropheo Halensi examen sollemne...institvendvm... invitat Maximilianvs Schmidt...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 9/19/92 INITIALS S.M
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AD

SCHOLAE LATINAE

IN

ORPHANOTROPHEO HALENSI

EXAMEN SOLLEMNE

DIE XXI. MENSIS MARTII ANNI MDCCCXXXIX

HORIS ANTEMERIDIANIS VIII — XII ET POMERIDIANIS II — V

INSTITVENDVM

EA QVA DECET OBSERVANTIA

INVITAT

MAXIMILIANVS SCHMIDT,

PHILOS. DOCTOR, AEDIVM FRANCKIANARVM CONDIRECTOR,
GYMNASII RECTOR.

I. Maximiliani Schmidtii commentatio de Theophrasto rhetore.

II. Annales scholae.

HALIS SAXONVM

FORMIS EXPRESSVM ORPHANOTROPHEI.

MDCCCXXXIX.

Graecarum artium litterarumque elegantia atque venustas consummatissima, si quaesiveris, unde profecta sit, eam cum aliis ex rebus, tum inde potissimum repetendam esse invenies, quod Graecorum in operibus suis limandis et expoliendis diligentia atque industria fuit accuratissima. Itaque in quavis illi arte quae pulchritudinis esset ratio, quibus quasi fundamentis omnis elegantia niteretur, qua denique via ad summam cuiusque operis formam ac speciem perveniri posset, diligenter considerarunt et quae invenerant, litteris mandaverunt. Quod cum in ceteris artibus fecerint, tum vero, ex quo tempore apud eos in honore esse coepit eloquentia, extiterunt, qui dicendi de arte commentarentur et studiosis dicendi praecepta et quasi vias traderent, quae ad laudem oratoriam ferrent. Etenim primum apud Siculos Olympiade fere LXXVIII a Corace quodam — nam quae circa Empedoclem narrant, in iis nunc quidem morari non lubet, — orationum iudicialium disciplina est reperta, illius vero inventa transierunt sophistas eaque ab his ad omnia dicendi genera traducta et usquequaque amplificata atque exculta eo magis placuere Graecis, quod illo tempore nemo poterat ad rempublicam accedere, nisi qui a dicendi facultate et exercitatione satis esset instructus. Ita factum est, ut Graeci et in orationibus elimandis maxima uterentur diligentia atque plurimum studii ponerent in perficienda eloquentiae arte ac disciplina. Dolendum autem est maximo opere, quod cum orationum quidem earum, quae inde a belli Peloponnesiaci tempore usque ad Philippum, Macedoniae regem, a Graecis confectae habitaeque sunt, non paucae aetatem tulerint, artium scriptores praeter unum Aristotelem, cuius de multis oratoriis libris unum de arte rhetorica extat opus, temporis iniuria interierunt omnes. Itaque Spengelius Monacensis bene de Graecorum litteris est meritus, quod, quae ante Aristotelem inde a Corace atque Tisia de arte dicendi praecepta sunt, et ad nos aut fama

aliqua aut hominum usu pervenerunt, ea collegit ac secundum tempora atque auctores disposuit in eo libro, qui Artium scriptores inscribitur. Sed etiam post Aristotelem fervebant haec artis dicendi studia. Omnes enim orationis perfectione ac dulcedine, omnes disserendi subtilitate atque lepore capti erant; quid mirum igitur, si omnes, qui aliquam morum ac doctrinae elegantiam affectarunt, rhetorum scholas frequentabant? Neque in Atticae finibus iste ardor pulchre et ornate dicendi sese continuit, sed, ut semel e Piraeeo evecta est eloquentia, omnes Aegaei maris insulas peragravit, in quibus Rhodus praestitit ceteris, totaque Asia peregrinata est, ita ut post Alexandrum et Attica eloquentia laudem tueretur suam et Rhodii oratores et Asiatici in honore et pretio essent. Accedebant philosophorum artis dicendi studia ac praecepta. Epicurus enim, qui se solum invenisse veram rationem eloquentiae civilis iactavit, librum de eloquentia conscripsit, quo gratiam ac leporem orationis flocci esse habendum docuit, eam vero, qua ipse nonnunquam destitutus fuisse dicitur, perspicuitatem maxime commendavit. Et Academici, tametsi rhetoricam non artem, sed peritiam quandam gratiae ac voluptatis existimarunt, et in ea oppugnanda laureolam quaesivere, ut Agnon, quem accusationem rhetorices scripsisse constat, tamen et Platonis, summi etiam in dicendo magistri, post etiam Carneadis exemplum sequentes in sermonis elegantia plurimum operae consumserunt, suisque discipulis vias rationesque et pro omnibus et contra omnia disputandi tradiderunt. Neque eidem arti nihil profuere etiam Stoici. Quis est enim, qui eos de grammatica, quae rhetoricam plurimum et attingit et adiuvat, bene meritos esse ignoret? Praeterea subtiles erant in verborum usu et discriminatione, orationisque summam virtutem in veritate ponebant; eorum autem dicendi genus, etiamsi apud multos esset severius adstrictiusque, tamen a Panaetio est admodum mitigatum magisque ad forensem usum accommodatum. Maxime vero Peripateticorum e scholis petebatur dicendi disciplina. Hi enim Aristotelem suum ita coluere, ut, quae ipse de rhetorica et conscripserat et in scholis praeceperat, ea accuratius enuclearent augerentque, et discipulos suos omni sermonis varietate, elegantia et copia exornarent. Ita eloquentiae studia aeque per omnes terras, in quibus graece loquebantur, diffusa atque ab omnibus, quamcunque artem profitebantur, si elegantioris volebant videri ingenii, expetita, etiam post Alexandrum acerrime colebantur, verumtamen eorum proventus paullatim videbantur exarescere, propterea quod Graecorum rebus in dies

magis attenuatis et civibus subtrahebantur animi et subsidia artibus. At eo ipso tempore cum Romani pollentes opibus ingenioque vegeti has Graecorum artes amplecti coepissent, factum est, ut et Graecorum oratorum resuscitarentur ingenia et omnes ipsorum Romanorum artes atque litterae mirifice promoverentur. Itaque ista studia, quibus Graeci dicendi artem inde ab Alexandri aetate usque ad Ciceronem fovebant, cum per se sint memoria digna, tum magis etiam propterea consideranda et exploranda videntur esse, quod iis neglectis, Romanae litterae quomodo natae et perfectae sint, parum intelligi poterit. Fecerit igitur operae pretium multumque iuverit litteras, qui, quoniam ex multis illis libris, qui post Aristotelem usque ad Ciceronem de dicendi arte scripti sunt, nullus ad nostram pervenit aetatem, pauca istorum rhetorum fragmenta, a Graecis atque Latinis scriptoribus passim servata, ea, qua Spengelius artium scriptores, qui ante Aristotelem fuerunt, diligentia et accurata doctrina composuerit et in unius corporis speciem collegerit. Nos interim, quae de Theophrasti vita ac studiis rhetoricis commentati sumus, paullo uberius exposuimus. Hic enim a doctrinae copia ac varietate uni Aristoteli, praeceptori suo, maxime est comparandus et inter artium scriptores, qui post Aristotelem vixerunt, maximam habet famae celebritatem.

Theophrastus Eresius sive Mellantae fullonis sive Leontis cuiusdam filius (cf. Diog. Laert. V. 2. et Suid. s. v. Θεοφρ.). Is quo anno mortuus sit, pro certo constat. Etenim Theophrasto, postquam scholae peripateticae tringinta quinque annos praefuit, quum auctore Diogene Laertio V, 58. Olympiade CXXIII. et, ut Clintonus in Fastis Hellenicis computavit tempora, eius Olympiadis anno secundo, Strato in scholae praesidio successerit, eodem anno sive CCLXXXVII. ante Christum apparet illum mortuum esse. Sed si hoc omnes concedunt, eo maior iam apud veteres scriptores de annorum numero, quot vixerit ille, dissensio. Nam cum Diogene Laertio, qui V, 40. tradidit, eum anno vitae octogesimo sexto (ἐτελεύτα γηραιὸς βιοὺς ἔτη πέντε καὶ ὀγδοήκοντα) decessisse, primum Theophrastus ipse videtur pugnare. Nam in prooemio eius libri, qui ἠθικοὶ χαρακτῆρες inscribitur, se ad Polyclem has morum notationes mittere fatetur, posteaquam longum per tempus humanam naturam contemplatus sit, quippe qui iam novem et nonaginta annos vixerit. Idem narrat Tzetzes Chiliad XI, 934. Θεόφραστος συνέγραψε — τοὺς χαρακτῆρας ἐτῶν ὑπάρχων ἑκατὸν παρὲξ ἑνὸς καὶ μό-

νον, cui illum locum e morum characterismis arbitror ante oculos fuisse. Est tamen in ipsis illis morum notationibus locus, qui ad rem nostram plurimum facere videtur. Etenim c. VIII, ubi de hominibus loquacibus ac famigeratoribus Theophrastus agit, refert, tales homines fingere, se cum milite, qui e pugna rediisset, locutos esse atque ex eo comperisse, Polysperchontem et regem vicisse et Cassandrum captum esse et iam quinque dies adesse aliquem e Macedonia, qui haec vidisset. Casaubonus vero recte vidit, haec docere, quo anno scriptus sit hic liber, verumtamen ille in eum errorem incidit, ut illud tempus intelligendum putaret, quo Polysperchon Alexandrum parvulum, Alexandri Magni filium, tuebatur, et bellum gerebat contra Cassandrum, qui bis, Olymp. CXV, 2 et 3., cum exercitu Macedoniam ingressus, eaque etiam potitus est. At multo rectius haec, quae blaterat ille homo apud Theophrastum, referuntur a Droysenio (Gesch. d. Hellenism. p. 406.) ad Olymp. CXVII, 4., quo anno (cf. Diod. Sic. XX, 28.) Polysperchon Herculem, Alexandri Magni e Barsine filium, Macedoniae regem renuntiavit, et eo comite contra Cassandrum, qui per septem annos iam Macedoniae dominus fuerat, exercitum duxit. Res autem tum admodum fuit anceps; nam Polysperchon magnas habuit copias, et Herculi, Alexandri filio, videbantur favere Cassandri milites, Atheniensium autem, quos, uti Casaubonus dicit in commentatione praefationi praemissa, in descriptione morum semper ante oculos habuit Theophrastus, plurimum intererat, utrius victoria futura esset. Etenim inde ab Olymp. CXV, 4. Demetrius Phalereus auctore Cassandro Atheniensium reipublicae praefuit, omniaque nutu Cassandri gerebantur, ita ut unice ad hunc annum ista, quae homo ille loquax profert, possint pertinere. Neque vero credibile est, Theophrastum ad hominis loquacitatem exprimendam usum esse rebus, quae multorum hominum memoriam iam fugerant; itaque morum notationem anno aut 309, aut 308 a Theophrasto esse conscriptam statuere licet. Sed si haec anno vitae nonagesimo nono scripsisset, quum a. 287. mortuus sit annum fere centesimum vicesimum primum attigisset, id quod neque veterum quisquam tradidit neque cuiquam potest verisimile videri. Est igitur aut annorum numerus in illo prooemio corruptus, aut totum prooemium non a Theophrasto profectum, aut characterismi illi sunt illo quidem anno facti, sed multo serius et, si Hieronymo fidem habemus, a. fere 293. ab eo ad Polyclem missi. Ille enim Hieronymus in epistola ad Nepotianum II. p. 9. ed. Victor. scribit, Theophrastum expletis centum et septem annis mortuum esse, quocum consentire videtur Tzetzes Chiliadum loco allato, qui et Isocratem et Theophrastum perhibet ultra centesimum annum vixisse. Sed Isocratem omnes consentiunt (cf. Cliton. ad a. 338.) anno vitae nonagesimo octavo vel nono mortuum esse, nemo eum ultra centesimum vixisse narrat; itaque quum fallatur in Isocrate Tzetzes, minor etiam eius de Theophrasto esse debet auctoritas. At omnino credibile non est, quod Hieronymus narrat. Nam si Theophrastus annos explevisset centum et septem, a. ante Chr. 394, decem igitur annis ante Aristotelem in lucem editus esset, id quod multis refelli potest rationibus. Etenim quis non miretur, hominem tanta doctrinae copia tantaque ubertate dicendi insignem usque ad annum vitae septuagesimum secundum adeo latuisse, ut eius plane nulla fieret apud veteres mentio? Cui credibile videatur, hunc septuagenarium ab Aristotele scholae peripateticae praepositum esse eumque hac demum aetate tot discipulos collegisse, aut etiam tot libros conscripsisse? Illud etiam cum Casaubono mirari licet, si Theophrastus annos septem et centum explevisset, quomodo factum sit, ut neque Lucianus, qui ex professo omnes paene μακροβίους philosophos libro singulari collegerit, neque Censorinus, vir undecunque doctissimus, in libro de die natalic. XV., cum plerosque veteres philosophos longaevos enumeret hunc philosophum summa auctoritate ac fama nominaverint. Denique contra Hieronymi narrationem gravissimum repeti potest argumentum ex Aristotelis testamento, quod ille Chalcide dicitur fecisse, quodque Diogenes Laertius V, §. 11. servavit. Nam in eo Nicanorem filium adoptatum iubet Stagirites Pythiadem filiam, etiamtum impuberem, in matrimonium ducere, et si Nicanor ante nuptias moreretur, optat, Theophrastus ut illam ducat. Qui si iam tum habuisset septuaginta duos annos, nonne aut delirus aut etiam crudelis fuisset Aristoteles, qui puellam tam teneram in has hominis vetuli ac decrepiti voluisset coniicere nuptias? Itaque cum omnia, quae cum Diogene Laertio pugnant, plane a rerum veritate abhorrere videantur, satius erit, in ea re sequi fidem illius, qui Theophrastum annos octoginta quinque vixisse tradidit. Natus igitur Theophrastus circa a. 372. sive Ol. II, 4. Quod vero idem Laertius narrat, eum domi Leucippum sive, ut alii codices habent, Alcippum Eresium, post Platonem audivisse et ab hoc se ad Aristotelem contulisse, id cum illo anno natali satis congruit. Nam quis ille Leucippus sive Alcippus fuerit ignoramus, neque enim de Leucippo, Democriti praeceptore, cogitandum, qui neque Eresius fuit et multo vetustior Theophrasto; et si sumimus, nostrum fere vicenarium aut etiam iuniorem Athenas venisse — Ari-

stotelem enim scimus anno vitae decimo octavo Platonem adiisse — paucos etiamtum per annos Platonis potuit esse auditor.

Platone mortuo ignoratur, manseritne Theophrastus Athenis, an alium in locum se contulerit. Nihil enim certi de eo comperimus usque ad mortem Aristotelis, quod est annorum viginti quinque spatium. At quod Plutarchus II. p. 1126. et p. 1097. Theophrastum bis patriam suam narrat tyrannis liberasse, hoc intra illud tempus verisimile est accidisse. Nam postquam schola peripateticae patrocinium suscepit, semel, quantum scimus, idque breve per tempus Athenis abfuit. Accedit, quod illo tempore noster summam e litterarum studio, e rebus publicis gerendis exiguam voluptatem videtur cepisse. (cf. Cic. ad Att. 2, 16. et de fin. V, 4.) Antea vero multum eum in rebus publicis versatum esse coniicere licet e Plutarcho, quippe qui illam de patria liberata famam referat tanquam rem omnibus notam. Sed rerum Lesbiacarum exilis ad nos pervenit memoria. E Demosthenis oratione de liberandis Rhodiis Ol. CVII, 2. habita (p. 176. ed. Bekker) apparet, Mitylenis tum imperium non apud populum, sed penes paucos fuisse, et quem idem Demosthenes Mitylenaeorum tyrannorum esse Cammen narrat, hunc Plehnius in Lesbiacorum libro p. 76. eadem Olympiade (CVII.) rerum esse potitum credit. Ad idem tempus refert ille Cleomenem, Methymnaeorum tyrannum, cuius mentio fit apud Athenaeum X. p. 443. A. Itaque illo tempore etiam Eresi tyrannos fuisse credibile est, praesertim quum Persae, qui tum circa illas regiones summam imperii habebant, tyrannis faverent. Ac si Theophrastus de patria tyrannos bis eiiciendo optime meritus dicitur esse, profecto tum eius rei habuit opportunitatem, quanquam alteram expulsionem etiam ad recentiora tempora trahere possumus. Nam Lesbiae urbes ab Alexandro in Asiam proficiscente, optimatibus expulsis, captae et paullo post iterum Persarum in imperium a Memnone, Autophradate ac Pharnabazo redactae, Ol. CXII. denuo per Alexandri ducem Hegelochum liberatae sunt, Methymnaeorumque quidem tyrannos tum scimus esse interfectos. (cf. Arrian. exp. Alex. III, 2, 9. Curt. hist. Al. IV, 8, 11.) Itaque ad coniectandum ducor, a Theophr. Hegelochum in expugnanda Ereso capiendoque eius tyranno adiutum esse. Unum praeterea huc pertinet testimonium satis ambiguum. Nam in Aristotelis vita, quae vocatur „ex vetere translatione,“ haec legimus „Aristoteles Eressum, urbem Theophr. et Phaniae, suorum discipulorum, debentem destrui, liberavit destructione,“ ita ut appareat, Aristotele intercedente, Alexandrum Eresiis rebellionem vel aliam quamcunque culpam ab iis admissam condonavisse. Sed quoniam Plehnius de Eresi rebus ne verbum quidem habet, hoc etiam addere lubet, quum Plutarchus p. 1097. philosophorum et Academicorum et Peripateticorum enarrans de patria sua merita haec habeat verba: τίνας (οἰόμεθα ἡδονὰς εἶναι) Θεοφράστου καὶ Φειδίου τοὺς τῆς πατρίδος ἐκκοψάντων τυράννους, me in ea esse opinione, ut credam ab eo patriam Eresum intelligi et pro Φειδίου, qui quis sit ignoratur, Φαινίου sive Φανίου esse legendum, ita ut huius Phaeniae, qui et Eresius, et Aristotelis discipulus fuit, et Theophrasti, illius amici et popularis, coniuncta fuerit opera in patria liberanda. Nam libri Phaniae videntur significare, eum aeque patriam suam adamavisse atque magno in tyrannos arsisse odio, quippe qui et de Prytanibus Eresiis pluribus libris exposuerit, (cf. Athen. VIII, 333. A.) et librum, qui Τυράννων ἀναίρεσις ἐκ τιμωρίας inscriptus erat, aliumque de Siciliae tyrannis conscripserit (cf. Athen. III. p. 90. E. p. 438. C. VI. p. 233.). Alia de Phania hoc sive Phaenia, utraque enim reperitur scriptura, inprimis de magna eius cum Theophrasto familiaritate vide apud Plehnium in Lesb. p. 215.

Post Aristotelis mortem Theophrastus scholae peripateticae patrocinium suscepit atque ab anno 322 usque ad 287 Athenis degit, semel tantum eas relinquere lege quadam coactus, quam tulit Sophocles, Amphiclidae filius. Haec res a pluribus scriptoribus commemoratur, quos deinceps opus est in medium proferre Diog. Laert. V, 38. in vita Theophrasti: ἀπεδήμησε πρὸς ὀλίγον καὶ οὗτος καὶ πάντες οἱ λοιποὶ φιλόσοφοι, Σοφοκλέους τοῦ Ἀμφικλείδου νόμον εἰσενεγκόντος, μηδένα τῶν φιλοσόφων σχολῆς ἀφηγεῖσθαι, ἂν μὴ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ δόξῃ· εἰ δὲ μή, Θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν. ἀλλὰ αὖθις ἐπανῆλθον εἰς νέωτα Φίλωνος τὸν Σοφοκλέα γραψαμένου παρανόμων, ὅτε καὶ τὸν νόμον μὲν ἄκυρον ἐποίησαν Ἀθηναῖοι, τὸν δὲ Σοφοκλέα πέντε ταλάντοις ἐζημίωσαν, κάθοδόν τε τοῖς φιλοσόφοις ἐψηφίσαντο, ἵνα καὶ Θεόφραστος κατέλθῃ καὶ ἐν τοῖς ὁμοίοις ᾖ. Idem paullo brevius Pollux IX, 42., pluribus autem Athenaeus XIII. p. 610. c. refert: οὓς (τοὺς φιλοσόφους) οὐ μόνον Λυσίμαχος ὁ βασιλεὺς ἐξεκήρυξε τῆς ἰδίας βασιλείας ἀπελαύνων - - - ἀλλὰ καὶ Ἀθηναῖοι. Ἄλεξις γοῦν ἐν Ἵππῳ φησίν·

τοῦτ᾿ ἔστιν Ἀκαδημία, τοῦτο Ξενοκράτης;
πόλλ᾿ ἀγαθὰ δοῖεν οἱ θεοὶ Δημητρίῳ
καὶ τοῖς νομοθέταις, διότι τοὺς τὰς τῶν λόγων,
ὥς φασι, δυνάμεις παραδιδόντας τοῖς νέοις
ἐς κόρακας ἔῤῥειν φασὶν ἐκ τῆς Ἀττικῆς.

καὶ Σοφοκλῆς δέ τις ψηφίσματι ἐξήλασε πάντας φιλοσόφους τῆς Ἀττικῆς, καθ᾿

οὗ λόγον ἔγραψε Φίλων, Ἀριστοτέλους γνώριμος, ἀπολογίαν ὑπὲρ τοῦ Σοφοκλέους Δημοχάρους πεποιηκότος τοῦ Δημοσθένους ἀνεψιοῦ.

Itaque aliquo tempore Theophrastus omnesque philosophi Athenis expulsi sunt, reditus autem paullo post iis decretus non sine commendatione quadam Theophrasti. Iam si causam quaerimus, cur philosophi sint eiecti, rationes variae afferri possunt. Atque Athenis quidem aliquoties eos, qui antiquos tuebantur mores, contra eos pugnare videmus, qui nova docere vel nova inducere viderentur. Eam ob causam Socratem Aristophanes in Nubibus, Anytus in iudicio insectatus est. Quis nescit, praeterea apud eosdem multos philosophos Anaxagoram, Protagoram, Stilponem, Aristotelem impietatis erga Deos esse accusatos? Idem Romae accidit, e qua urbe a. 178 ante Chr. philosophi Epicurei (Athen. XII, 547 a. Aelian. XI, 12. scriptor de caussis corr. el. c. 35.), et a. 161 omnes rhetores ac philosophi sunt eiecti (Gell. XV, 15. Sueton de claris orat. c. I.). Etiam astrologos, magos et mathematicos sub Tiberio, iterumque sub Vitellio et Domitiano esse Roma expulsos, docet Ionsius hist. phil. p. 95. Idem multus est in enumerando, philosophi quoties et a quibus civitatibus sint exterminati. Etiam Athenaeus XII. 547. refert, Messenios prohibuisse Epicureos, et Antiochum regem bis mandavisse, ut philosophi in regni sui ne essent finibus, et Lacedaemonios multasque alias civitates neque rhetoricam neque philosophiam admisisse. Atque quas singuli reges singulaeve civitates in philosophis et rhetoribus expellendis secuti sint rationes, longum est quaerere. Illud apparet, ubivis gentium esse homines vetusti moris tenaces, qui respuant nova, neque iuventutem ultra, quam ipsi, sapere velint. Philosophi vero cum id agant, ut vitam moresque hominum emendent, facile in vituperium incurrunt hominum, qui criminantur, eos iuventutem perdere, morem priscum ac priorem civitatis felicitatem subvertere, plebem vel tyrannis subiicere vel ad res novas moliendas incitare. Iam quum eo tempore, quo Theophrastus docuit, Atheniensium respublica omni, qua antea nisa erat, potentia privata esset atque maximam partem e nutu ac voluntate Macedoniae regum res gererentur, credibile est fuisse, qui propterea philosophos impugnarent, iisque eiectis rem in melius mutatum iri sperarent, praesertim quia Aristoteles, cuius maxima fuerat auctoritas, a Macedonum partibus steterat, quibus etiam Theophrastus videtur favisse. Sed philosophis, qui iidem rhetores erant, eiectis quum et spe sua fallerentur et adeo sentirent, Athenae quam tum haberent auctoritatem et

gloriam, eam niti in litterarum studiis, quae fere nusquam magis quam in hac urbe florerent, citius, quam opinari possis, philosophos revocarunt. Ex orationis autem, quam habuit Demochares ad tutandam Sophoclis legem, a Philone impugnatam eiusque opera abrogatam, fragmentis satis ista in philosophos ac rhetores apparent convicia. Athenaeus enim ex hac oratione haec V. p. 187. d.: *οὔτε ἐκ θύμβρας, ἔφη Δημοχάρης, λόγχη οὔτ᾽ ἐκ τοιούτων λόγων ἀνὴρ ἀγαθὸς γίγνεται*, quam sententiam aliis idem indicat verbis p. 215 e. *τοιοῦτοί εἰσιν οἱ ἀπὸ φιλοσοφίας στρατηγοί, περὶ ὧν Δημοχάρης ἔλεγεν· ὥσπερ ἐκ θύμβρας οὐδεὶς ἂν δύναιτο κατασκευάσαι λόγχην οὐδ᾽ ἐκ Σωκράτους στρατιώτην ἄμεμπτον.* Alterum apud eundem lib. XI. p. 508. extr. invenimus fragmentum, quo Platonis discipulos docemur pravis fuisse moribus et tyrannidem affectasse, quod Euagonis Lampsaceni et Timaei Cyziceni confirmatur exemplo his quidem verbis: *Εὐάγων ὁ Λαμψακηνὸς, ὥς φησιν Εὐρύπυλος καὶ Δικαιοκλῆς ὁ Κνίδιος, ἔτι δὲ Δημοχάρης ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ ὑπὲρ Σοφοκλέους πρὸς Φίλωνα δανείσας τῇ πατρίδι ἀργύριον ἐπὶ ἐνεχύρῳ τῇ Ἀκροπόλει καὶ ἀφυστερήσας τυραννεῖν ἐβουλεύετο, ἕως συνδραμόντες ἐπ᾽ αὐτὸν οἱ Λαμψακηνοὶ καὶ τὰ χρήματα ἀποδιδόντες ἐξέβαλον· Τίμαιος δ᾽ ὁ Κυζικηνὸς, ὡς ὁ αὐτὸς Δημοχάρης φησὶ, χρήματα καὶ σῖτον ἐπιδοὺς τοῖς πολίταις καὶ διὰ ταῦτα πιστευθεὶς εἶναι χρηστὸς παρὰ τοῖς Κυζικηνοῖς μικρὸν ἐπισχὼν χρόνον ἐπέθετο τῇ πολιτείᾳ δι᾽ Ἀριδαίου. κριθεὶς δὲ καὶ ἁλοὺς καὶ ἀδοξήσας ἐν μὲν τῇ πόλει ἐπέμενε παλαιὸς καὶ γεγηρακὼς, ἀτίμως δὲ καὶ ἀδόξως διαζῶν.* Denique his adiiciendus est Eusebii locus ex praepar. Evang. XV, 2. *τὴν μὲν γὰρ Δημοχάρους κατηγορίαν κατὰ τῶν φιλοσόφων τί χρὴ λέγειν; οὐ γὰρ Ἀριστοτέλην μόνον ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους κακῶς εἴρηκεν. ἔτι γε μὴν αὐτὰς τὰς διαβολὰς σκοπῶν ἄν τις ληρεῖν αὐτὸν φαίη. λέγει γὰρ ἐπιστολὰς Ἀριστοτέλους ἁλῶναι κατὰ τῆς πόλεως τῆς Ἀθηναίων καὶ Στάγειραν τὴν πατρίδα προδοῦναι Μακεδόσιν αὐτόν. ἔτι δέ κατασκαφείσης Ὀλύνθου μηνύειν ἐπὶ τοῦ λαφυροπωλείου Φιλίππῳ τοὺς πλουσιωτάτους τῶν Ὀλυνθίων.* Sed quo anno lex sit lata, quoque Theophrastus expulsus, viri doctissimi ambigunt. Ionsius in hist. philos. p. 94. hanc legem circiter Olymp. CXX. esse latam censet; sed quum Demochares, qui reditum philosophorum voluit prohibere, Olymp. CXIX, 2. Athenis sit eiectus, cf. Ruhnk. ad Rutil. Lup. 1, 2, 8. eius error est in aperto. Droysenius in Hellenism. t. I. p. 498 anno 304, aut certe intra a. 307 et 302, contendit hoc accidisse. Samuel Petitus, quem sequuntur Menag. ad Laert. V, 38 et Corsin. F. A. IV. p. 68, a. 306, Clinton denique in F. H. Ol. CXVI, 1., sive a. 316., hanc legem latam esse volunt. Nos facimus cum Clintono. Ceteri enim, qui recte quidem statuunt, Alexidis comoediam eodem

tempore, quo lex illa de expellendis philosophis lata fuerit, esse actam, in eo
tamen errant, quod Demetrium, qui illis versibus commemoretur, putant De-
metrium esse Polioreetem, qui a. 307 Athenas venerit. Nam eadem in fabula
Xenocratis tanquam vivus inducitur, quem quum decem fere annis post mortem
vix credibile sit illusum esse, decessit autem vita Ol. CXVI, 2. (315), aut hoc
anno illam legem, aut paulle ante, postquam Demetrius **P h a l e r e u s** coeperat
rebus praeesse, latam esse apparet. Accedit, quod Demochares in oratione
sua, uti eius fragmenta docent, et in alios Platonis discipulos, et in Aristotelem
vehementissime invectus est, quod, quo recentior illorum memoria fuit, eo
magis poterat populi animos commovere. Sin haec convicia viginti annis
post Aristotelis mortem fingimus esse iacta, quis non intelligit, flaccere
ea atque esse languida? Neque quisquam Demetrium Phalereum, qui lit-
teras ipse diligenter coluerit et Theophrasti fuerit familiaris, contenderit,
hanc legem non fuisse probaturum. Neque enim alter Demetrius Polior-
cetes litteras contemsit et Phalereum nihil quidquam, quod homines popu-
lares molirentur, nisi potestatem, illud quam Cassander ipsi tradiderat,
minueret, scimus impedivisse.

Alio tempore Theophrastus solus est impugnatus; sed quemadmodum phi-
losophi non sine honorifica Theophrasti mentione restituti sunt, ita alterum
magis etiam in nostri laudem cessit. Agnonides enim, de quo vide Ruhnk. hist.
crit. or. graec. p. 89., eum impietatis reum cum agere ausus esset, propter
gratiam, qua Theophrastus floruit apud Athenienses, parum abfuit, quin ipse
hoc crimine conflagraret; cf. Diog. L. V, 37. Ac tum quidem videtur summo
illi accidisse rhetori, ut, quum causa esset dicenda, obmutesceret. Aelianus
quidem var. hist. VIII, 12. haec: *Οὐ μόνος τοῦτο ἔπαθε Δημοσθένης ἐν Μακεδο-
νίᾳ, καίτοι δεινότατος ὢν εἰπεῖν ἀλλὰ καὶ Θεόφραστος ὁ Ἐρέσιος· ἐξέπεσε γὰρ καὶ
οὗτος ἐπὶ τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς λέγων· καὶ ταύτην ἀπολογίαν προεφέρετο, ὅτι
κατεπλάγη τὸ ἀξίωμα τοῦ συνεδρίου. πικρότατα οὖν ἀπήντησε καὶ ἑτοιμότατα πρὸς τοῦ-
τον αὐτοῦ τὸν λόγον ὁ Δημοχάρης εἰπών· ὦ Θεόφραστε, Ἀθηναῖοι ἦσαν, ἀλλ' οὐχ οἱ
δώδεκα θεοὶ οἱ δικάζοντες.* Nam quam, causam Diogenes dicit, propterea opi-
namur eandem esse, atque eam, quae ab Aeliano significetur, quod et in Areo-
pago homines *ἀσεβείας* accusabantur (Attischer Process v. Meier p. 305.),
et huius iudicii sanctitate ita commovebatur Theophrastus, ut vox abori-
retur. Est autem Agnonides idem ille, qui Phocioni infestus eiusque mor-
tis auctor fuit, ob eamque causam, ut Plutarchi verbis T. I. p. 759 B.
utar, *χρόνου βραχέος διαγενομένου καὶ τῶν πραγμάτων διδασκόντων, οἷον ἐπιστά-*

την καὶ φύλακα σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης ὁ δῆμος ἀπώλεσε, mortis est con-
demnatus et necatus. Itaque quum non ita multo tempore post Phocionis
mortem, qui a. 318 est interfectus, Agnonides perierit suspicari licet circa
idem fere tempus, quo philosophi expulsi revocative sint, Theophrastum et-
iam *ἀσεβείας* esse accusatum.

Nunc vero paululum ad priorem vitam redeundum Theophrasti, ac de eius
cum Aristotele societate videndum est. Eam credibile est ante Platonis mor-
tem incepisse; ignoramus autem, quum Aristoteles ab a. 347 usque 334 Athe-
nis abesset, ubinam ipse interim fuerit; nescimus illud etiam, num illico inde
ab anno 334 cum eo fuerit (cf. supra p. 6.). Hoc unum videmus, eum admodum
placuisse Aristoteli. Omnes enim tradunt, quum antea vocaretur Tyrtamus, ab
Aristotele eum nominatum esse Theophr., sive, ut unus Suidas s. v. *Θεόφρ.*
tradit, primum Euphrastum, post Theophrastum. Suid.: *διὰ τὸ θείως φράζειν*
ὑπὸ Ἀριστοτέλους ἐκλήθη Εὔφραστος, εἶτα Θεόφραστος. Strabo XIII, c. 2. §. 4.
*Τύρταμος ἐκαλεῖτο ἔμπροσθεν ὁ Θεόφραστος· μετωνόμασε δ' αὐτὸν ὁ Ἀριστοτέλης
Θεόφραστον, ἅμα μὲν φεύγων τὴν τοῦ προτέρου ὀνόματος κακοφωνίαν, ἅμα δὲ τὸν τῆς
φράσεως αὐτοῦ ζῆλον ἐπισημαινόμενος· ἅπαντας μὲν γὰρ λογίους ἐποίησε τοὺς μαθη-
τὰς Ἀριστοτέλης, λογιώτατον δὲ Θεόφραστον.* Atque Diog. Laert. V, 36. *τοῦτον
Τύρταμον λεγόμενον Θεόφραστον διὰ τὸ τῆς φράσεως θεσπέσιον Ἀριστοτέλης μετω-
νόμασε.* Stephanus s. v. *Ερεσός· διὰ τὸ τῆς φράσεως θεσπέσιον Θεόφρ. ἐκλήθη.*
His adde Tzetzae Chiliad. XI. 854, et Theophylactum in Walz. rhet. t. IX.
prol. p. 2. Cic. etiam or. 19. §. 62.; „Th. **d i v i n i t a t e** loquendi nomen inve-
nit,“ et Quintil. X, 1, 83.: „In Theophr. tam est loquendi nitor ille divinus,
ut ex eo nomen quoque traxisse dicatur;“ denique Plin. etiam h. n. praef.:
Theophr. „homo in eloquentia tantus, ut nomen divinum inde invenerit.“ —
Strabo autem Tyrtami nominis asperitatem si displicuisse Aristoteli narrat,
quae illa fuerit asperitas, me fateor ignorare. Theophr. vero quam carus fue-
rit Aristoteli, apparet etiam ex eius testamento. Nam hunc ille cum aliis tu-
torem filii adoptati, Nicanoris, fecit, atque in Pythiadem, filiam suam, Nica-
nori desponsam, si Nicanor ante nuptias moreretur, Theophrasto voluit idem
ius esse, quod Nicanori concesserat. cf. Diog. Laert. V. §. 12 et 13. Deni-
que extremo etiam vitae tempore Aristoteles suum de Theophrasto honori-
ficum comprobavit iudicium. Nam ad Aristotelem, quum corpore aegro af-
fectoque et spe vitae tenui esset, discipuli orantes accesserunt, ut ipse de-
ligeret loci sui et magisterii successorem. Erant autem duo maxime inter
discipulos insignes, Menedemus Rhodius et Theophrastus Lesbius. Itaque

Aristoteles vinum postulavit Lesbium et Rhodium, simulans se videre velle, utrum corpus magis iuvaret; tum vino degustato, utrumqne, inquit, oppido bonum, sed ἡδίων ὁ Λέσβιος. Id ubi dixerit, Gellius, qui refert haec omnia, XIII, 5. narrat, nemini fuisse dubium, quin lepide simul et verecunde successorem sibi illa voce, non vinum delegisset. Quae si vera sunt, videntur ea indicare, cum Aristotele Chalcidem nonnullos ex discipulis discessisse. Sed id quomodocunque fuit, Stagirita e discipulis alium, qui ipsi et a doctrinae copia ac varietate et a disserendi subtilitate, denique etiam a suavitate sermonis magis par esset, non potuit eligere.

Ita Theophrastus anno 322 scholae praefectus est, quum, si Diogenem Laertium sequimur, annum vitae ageret quinquagesimum. Atque uti Aristotelem vivo etiamtum Platone scholas habuisse post luculentas Stahrii explanationes, quas vide sis in eius Aristoteliis. T. I. p. 62., compertum habemus, ita Theophrastum suspicari licet iam ante Aristotelis obitum coram discipulis de rebus doctis disseruisse. Testimonium autem eius rei non extat. Atque hic obiter monendum est, scholae Peripateticae sedes quamquam fuerit Athenis, tamen neque conditorem eius, neque unum ex iis, quos postmodum praefuisse ei novimus, fuisse Atheniensem. Stagirites enim fuit Aristoteles, Eresius Theophrastus, Lampsacenus Strato, Lyco vero Troade natus, Aristo Ceus, Critolaus Phaselita, Diodorus Tyrius. Itaque quod Cicero de orat. III, 11, 43. de Athenarum statu sua aetate dixit, id vel ad illa tempora videtur tranferri posse: „Athenis iam diu doctrina ipsorum Atheniensium interiit, domicilium tantum in illa remanet studiorum, quibus vacant cives, peregrini fruuntur, capti quodammodo nomine urbis et auctoritate.“ Tradendae autem scholae ratio certa apud Peripateticos neque fuit, neque antiquitus potuit esse. Etenim qui praestabat ceteris doctrina, ad eum undique confluebant homines, et quae ille de rerum natura, de philosophia, de arte dicendi exposuit, ea excipiebant, cum eo disputabant, eius arbicrio, auctoritate, consilio studia ipsi sua regebant. Huius rei significatio aliqua extat etiam apud Gellium; hic enim narrat, postquam Aristoteles festive, uti supra est indicatum, Menedemo praetulerit Theophrastum, non diu post, Aristotele vita defuncto, ad Theophrastum omnes concessisse. Ad Stratonem qua ratione scholae praesidium transierit, parum compertum habemus; Strato vero ipse in testamento Lyconem nominavit successorem, quod alii essent senes, alii occupati (Diogen. Laert. V, §. 62.); Lyco autem in testamento iussit amicos scholae praeficere, quemcunque putarent in ea

permansurum eamque maxime esse sustentaturum. De ceteris Lycei praefectis nihil constat.

Nunc vero etiam de quaestu, si quem fecerunt peripatetici, videtur esse sciscitandum. Omnes illos, quos nominavi, videmus abunde divites fuisse. Aristoteles enim et Chalcide habuit possessionem et Stagirae aedes, multos domi servos et plurimas servas, multasque in testamento, quod Laertius servavit, statuas iussit confici. Et Theophrastus possedit hortum; cf. Diog. L. V, 39. λέγεται Θ. καὶ ἴδιον κῆπον σχεῖν μετὰ τὴν Ἀριστοτέλους τελευτὴν, Δημητρίου τοῦ Φαληρέως, ὃς ἦν καὶ γνώριμος αὐτῷ, τοῦτο συμπράξαντος atque eius testamentum docet, eum Stagirae fundum habuisse puerosque, quos testamento aut manumisit, aut dono dedit aliis, et pecuniam satis magnam, e qua et scholam, et deos exornari iussit, et Aristoteli statuam poni, et iuxta scholam porticum aedificari, et in portu inferiore tabulas suspendi, quas vocant geographicas, et exstrui aram, et perfici Nicomachi statuam. Idem hortum et ambulationem aedesque omnes adiacentes legavit amicis, qui una vacare vellent litteris, ea tamen condicione, ut neque alienarent hunc fundum, neque sibi vindicarent; cf. Diog. Laert. V, §. 52. Athenaeus narrat (V, 186.), Theophrastum etiam ad celebranda convivia, quae etiam aliorum in philosophorum erant scholis, pecuniam legavisse uti ille addit: μὰ Δί' οὐχ ἵνα ἀκολασταίνωσι συνιόντες, ἀλλ' ἵνα τοὺς κατὰ τὸ συμπόσιον λόγους σωφρόνως καὶ πεπαιδευμένως διεξάγωσι. Quem hortum autem Theophrastus legavit amicis, quemque in Lyceo fuisse situm suspicari possumus, eum verisimile est a Stratone ad Lyconem ceterosque scholae peripateticae transiisse antistites. Etiam Strato et Lyco fuerunt divites, uti eorum testamenta a Dionysio servata declarant. Ac Strabo et hortum, et libros omnes, praeter eos, quos scripserat ipse, atque vasa epularum omnia stragulaque ac pocula Lyconi legavit; alia autem multa aliis uterque reliquit. Qui viri, si quaeritur, qui has sibi comparaverint opes, Aristotelem quidem grandem pecuniam et a Philippo, plura etiam ab Alexandro accepisse, pro certo haberi potest. cf. Stahrii Aristotelia T. I. p. 116. Atque Theophrastum etiam a Cassandro, Antipatri filio, cui acceptus fuit (cf. Diog. L. V. §. 37. Κάσανδρος αὐτὸν ἀπεδέχετο et Suid. s. v. Θεοφρ. ἐτιμήθη παρὰ Κάσανδρῳ τῷ Ἀντιπάτρου,) cui etiam librum περί βασιλείας ferebatur dicavisse (Athen. IV. p. 144.), et a Ptolemaeo, qui eum ad se arcessere voluit, aliisque principibus civitatum (omnes enim tum reges Alexandrum in hominibus doctis et honore et divitiis augendis imitabantur) credibile est dona

accepisse; neque illud de Demetrio Phalereo, cuius familiaritate usus est Theophrastus, negaverim, quanquam apud Themistium orat. XXI. leguntur haec: *πότε διεώσω χάριτας ἐμμίσθους ἀρχόντων, ὥσπερ Θεόφραστος τὰς παρὰ τοῦ Φαληρέως*. Haec enim verba ad rem singularem aliquam, nos nunc latentem, videntur esse referenda, neque propter ea Theophrastum in acceptandis regum beneficiis aliter sensisse putaverim, quam Aristotelem atque eos, qui Theophrasti vestigiis institerunt. Strato enim a Ptolemaeo Pilhadelpho; cuius praeceptor fuerat, octoginta talentis ferebatur donatus esse (Diog. Laert. V, 58.), et Lyconem scimus Eumenis et Attali regia beneficentia esse auctum. (Diog. Laert. V. §. 67.) Nihil vero impedit, quo minus statuamus, hos omnes etiam pecuniam accepisse a discipulis, non solum ita, ut ditiores ea, quae ad victum cultumque videbantur deesse, suppeditarent, uti Socratis amici fecerunt, sed ut certam etiam acciperent a singulis mercedem; id quod a sophistis ac rhetoribus Athenis iam fuit ita institutum, ut usu omnium esset receptum. Atque de Corace, qui mercede docuit, vide Sext. Emp. adv. M. p. 307, de Protagora confer. Laert. IX. 52., Plat. Menon. p. 91. D., eiusque Hippiam mai. p. 282. D., et Quintil. III, 1. 10., de Gorgia Diod. Sic. XII, 53., de eodem et Prodico Plat. Hipp. mai. p. 282. B., et de Hippia eundem p. 282 E. De peripateticis quidem philosophis nullum eius rei, quantum equidem novi, extat testimonium; alios autem, qui eodem tempore vixerunt, philosophos, constat mercede docuisse, siquidem hoc Dionysius tyrannus Speusippo vertit vitio, quod, quum Plato nullam mercedem disciplinae petiisset, ipse et a volentibus, et a nolentibus tributa exigeret (cf. Diog. Laert. IV, §. 2. Athen. VII. p. 279 E et F. et XII. p. 546 D.), atque Zenonem a Cleanthe obolum quotidie accepisse, auctor est Diog. Laert. VII. §. 169, Cleanthemque hunc narrat Quintil. XII, 7, 9. mercedem a discipulis acceptavisse. Compara etiam Ciceronis in Acad. IV, 30. haec verba: „sic ludere Carneades solebat: Si recte conclusi, teneo; sin vitiose, minam Diogenes reddet; ab eo enim Stoico dialecticam didicerat, haec autem merces erat dialecticorum."

Plurimos habuit discipulos Theophrastus; bis enim milleni ad eum confluxisse dicuntur (Diog. Laert. V, 37.), quem numerum si in annos, per quos scholae antistes fuit peripateticae, praefuit autem triginta quinque annos, dispertimur, quotannis scholae suae supra quinquaginta adscripsit, e quibus praeclarissimorum memoriam, ut videtur, conservavit Hermippus libro, quem de Theophrasto scripsit, qui citatur a Diogene L. II, 55., in-

telligiturque sine dubio Athenaeo VI, p. 252 C. et I. p. 21. a. Atque Hermippi quidem opus resarcire, nominaque auditorum, quotquot memorantur, colligere, a re nostra alienum est; paucos vero de praestantissimis iuvat notasse, Menandrum comicum, et Duridem et Lynceum Samios, quorum alter historias scripsit et patriae tyrannus fuit, alter cum Menandro tragoediis decertavit (Athen. VIII, p. 337 D et IV. p. 128 A.), et Demetrium Phalereum (Strabo IX. p. 398 et Cic. de fin. V, 19. et Brut. c. 9.), et Lysimachum, Attali regis adulatorem (Athen. VI. p. 252 C.), et Arcesilam, Academiae mediae conditorem (Euseb. praep. Evang. p. 729.), cuius discessum aegre tulit noster (Diog. Laert. IV, 6, 3.), et Bionem Borysthenitem (Diog. Laert. IV. §. 52.), et Proclem, qui a Demarato, Lacedaemoniorum rege, genus duxit et in matrimonio habuit Pythiadem, Aristotelis filiam, eius etiam filios, Demaratum et Proclem (Sext. Emp. adv. Math. I. p. 258.).

Sed ut ad scholas eius earumque rationem propius accedamus, primum est commemorandum, Theophrastum, uti in omni victu cultuque lautus ac comtus fuit, ita etiam nitido atque eleganti vestitu introiisse in auditorium; quo de haec habet Athenaeis I. p. 21. *Ἕρμιππός φησι, Θεόφραστον παραγίνεσθαι εἰς τὸν περίπατον καθ' ὥραν λαμπρὸν καὶ ἐξησκημμένον, εἶτα καθίσαντα διατίθεσθαι τὸν λόγον οὐδεμιᾶς ἀπεχόμενον κινήσεως οὐδὲ σχήματος ἑνὸς καί ποτε ὀψοφάγον μιμούμενον ἐξείραντα τὴν γλῶσσαν περιλείχειν τὰ χείλη*. Neque vero haec cultus mundities in Theophr. habet, quod mireris. Nam iam Plato supellectilis lautae atque elegantis] erat studiosus; magis etiam Aristoteles vestitui et ornatui indulgebat cf. Aelian. v. h. III, 19. *ἐσθῆτι ἐχρῆτο περιέργῳ ὁ Ἀριστοτέλης καὶ ὑποδέσει. καὶ κουρὰν δὲ ἐκείρετο καὶ ταύτην ἀήθη Πλάτωνι. καὶ δακτυλίους δὲ πολλοὺς φορῶν ἐκαλλύνετο ἐπὶ τούτῳ.* Idem cadit in Theophrastum. Itaque Crates, quum argueretur ab astynomis, quod sindone amiciretur, respondit *καὶ Θεόφραστον ὑμῖν δείξω σινδόνα περιβεβλημένον*, quod quum non crederent illi, eos duxit in tonstrinam, illumque, dum tondebatur, iis ostendit (Diog. Laert. VI, 5, 7.). Quid quod Theophrastus hanc cultus et vestitus elegantiam etiam a discipulis poscebat, quod Casaubonus in commentario ad Theophr. charact. c. 4. his comprobat: „Refert Teles Metroclis cuiusdam sermonem, qui diceret, Theo„phrasti et Xenocratis hanc olim rationem fuisse, ut, si quis ipsis ope„ram navare vellet, illi necessario habendi essent calcei atque ii sine ful„mentis, sine clavis: habendam etiam pretiosam ac delicatam vestem, pue-

„ros multos, domum amplam ad convivia agitanda. Fuisse praeterea dan-
„dam operam, ut panis adesset non plebeius, sed siligineus, opsonium
„non qualecunque, vinum dulce, ut denique, quando convivia essent cele-
„*b*randa, laute id fieret. His siquidem illos ingenui ac liberalis hominis
„vitam esse metitos.“ Addit ille graeca etiam verba, e quibus haec ver-
tit, quae vide sis apud ipsum. Etiam Lyco, scholae peripateticae post
Stratonem antistes, multa munditia et circumspecte compositeque indutus
erat; cf. Diog. Laert. V. §. 67. ἦν καθαρώτατος τὴν στολὴν, ὡς ἀνυπερβλήτῳ
χρῆσθαι μαλακότητι ἱματίων, καθάπερ φησὶν Ἕρμιππος. Ac postero tempore,
si paucas quasdam philosophorum exceperis sectas, hoc in usu fuit, ut et
philosophi, et rhetores, et grammatici non venirent in conspectum audito-
rum nisi comti ac nitidi. Itaque Callistratus, Aristophanis grammatici di-
scipulus, Aristarcho exprobravit amictus negligentiam (Athen. I. p. 21 C.),
et Quintilianus XI, 3. §. 137. multis de toto oratorum habitu praecepit;
sophistarum autem luxuriam exemplis nonnullis Cresollius in theatr. rhet.
III. c. 15. demonstravit.

Ceterum Theophrastus in ambulatione, quae περίπατος graece voca-
batur, docuit; quem locum qui putant scholae peripateticae fuisse propri-
um, vehementer errant. Nam si Aeliano V. h. III, 19. et Euseb. praep.
Evang. XV, 2. ab init. est fides habenda, antea iam Plato in ambulatione
nonnunquam docuit. Quae quidem ambulationes quales fuerint, magis con-
iectura assequi, quam certo possumus definire. Apud Romanos duplicis
erant generis, tectae aut apertae; cf. Varro v. 3, 5, 9. Circum fluvii
ripas ambulatio sub dio, pedes lata denos. Seneca Tranquill.
anim. 15. In ambulationibus apertis vagandum, ut coelo li-
bero et multo spiritu augeat attollatque se animus. De tectis
vero agit Colum. 1, 6. Ambulationes meridiano aequinoctiali
subiectae sint, ut hieme plurimum solis et aestate minimum
recipiant. Cum his locis planis spatiosae, habentes sedes, coniunctae
erant exedrae, in quibus docebant philosophi; cf. Vitruv VI, 5. VII 5 et 9.
In tali περιπάτῳ primum inambulans docuit Aristoteles, post autem, disci-
pulorum numero aucto, etiam sedens; de qua re videndi sunt Cicero in
acad. quaest. I, 4. qui erant cum Aristotele, Peripatetici dicti
sunt, quia disputabant inambulantes in Lyceo, et Diog. Laer-
tius V, §. 2. φησὶν Ἕρμιππος, ὅτι, πρεσβεύοντος αὐτοῦ (Ἀριστ.) πρὸς Φίλιπ-
πον

πον ὑπὲρ Ἀθηναίων, σχολάρχης ἐγένετο τῆς ἐν Ἀκαδημίᾳ σχολῆς Ξενοκράτης·
ἐλθόντα δὴ αὐτὸν καὶ θεασάμενον ὑπ᾽ ἄλλῳ τὴν σχολὴν ἑλέσθαι περίπατον τὸν
ἐν Λυκείῳ καὶ μέχρι μὲν ἀλείμματος ἀνακάμπτοντα τοῖς μαθηταῖς συμφιλοσοφεῖν·
ὅθεν περιπατητικὸν προσαγορευθῆναι· οἱ δ᾽, ὅτι ἐκ νόσου περιπατοῦντι Ἀλεξάν-
δρῳ συμπαρὼν διελέγετο ἅττα· ἐπειδὴ δὲ πλείους ἐγίνοντο, ἤδη καὶ
ἐκάθισεν. Itidem Theophrastum docuisse sedentem, novimus ex Hermippi
loco supra allato. Quid quod hoc postea ita usu ac more receptum est,
ut, si quis non sedens, sed stans doceret vel inambulans, id a scriptori-
bus, ut novum et inusitatum, commemoraretur. Polemonem quidem Diogenes
Laertius IV, 19. auctor est non sedentem, sed deambulantem ad theses
respondisse, atque Seneca controv. II. praef. de Albutio, declamatore no-
bili „incipiebat, inquit, sedens, et, si quando produxerat calor, exsur-
gere audebat.“ cf. Cresollii theatr. rhet. III, 13.

Superest, ut etiam de scholis Theophrasti, quantumcunque aut con-
iectura assequi possumus, aut a veteribus est traditum, paucis commen-
temur. Platonem sophistas vehementer impugnavisse, neque doctrinam de
arte dicendi magni fecisse, vulgo constat. Aristoteles contra, motus ac laces-
situs, ut perhibent, gloria Isocratis, has etiam litteras animo ac disciplina
est complexus, cuius vestigiis ita institit Theophrastus, ut propter parem
scientiae ac studiorum ambitum ambo saepissime una commemorentur. cf.
Cic. de fin. V, 4, 10 sq. „Disserendi ab eo (Aristotele) et Theo-
„phrasto non dialectice solum, sed etiam oratorie praecepta sunt tra-
„dita: ab Aristoteleque principe de singulis rebus in utramque partem
„dicendi exercitatio est instituta,“ et paullo infra: „Vitae degendae ra-
„tio maxime quidem Aristoteli et Theophrasto placuit quieta, in
„contemplatione et cognitione posita rerum;“ et de leg. I, 13, 38. „Ari-
„stoteles et Theophrastus cum academia vetere congruentes genere
„docendi paullum differentes“ et de orat. 1, 10, 43. „Aristotelem
„Theophrastumque de rebus oratoriis non solum meliora, sed etiam
„multo plura, quam omnes dicendi magistros scripsisse ostendunt Peripa-
„tetici.“ Itaque Cicero, qui itidem et philosophiam et eloquentiam profi-
tebatur, sese illis aequiparans de div. II, 1, 4. „Cum Aristoteles, inquit
„ille, itemque Theophrastus, excellentes viri cum subtilitate, tum
„copia, cum philosophia dicendi etiam praecepta coniunxerint, nostri quo-
„que oratorii libri in eundem numerum referendi videntur.“ Atque Ari-
stoteles quidem diversa ista litterarum studia et horis, quibus docebat, et

discipulorum coetu discriminavit. Etenim habebat ille, uti Gellius XX, 5. narrat, περίπατον ἑωθινόν et δειλινόν, atque vesperi quidem dicebat, quae ad rhetoricas meditationes facultatemque argutiarum civiliumque rerum notitiam conducebant, ad easque auditiones exercitationesque vulgo iuvenes sine delectu admittebat; at ambulatione matutina tradebat magis recondítas philosophiae partes, quaeque ad naturae contemplationes disceptationesve dialecticas pertinebant, neque huic disciplinae quemquam, nisi cuius ante ingenium et eruditionis elementa, atque in discendo studium laboremque explorasset, interesse voluit. Hanc scholarum partitionem crediderim etiam a Theophrasto esse conservatam. Causa autem, cur ita statuam, haec est, quod Aristotelem, quem constat libros suos illi duplici discipulorum generi ita accommodasse, ut essent et ἐσωτερικοί et ἐξωτερικοί, de quibus conferendus est Stahrius in Aristoteliis II. p. 239., etiam Theophrastus in suis libris dispertiendis secutus est, id quod et Cicero de fin. V, 5. docet, qui Aristotelem atque Theophrastum memoriae prodidit de summo bono duplex librorum genus edidisse, unum populariter scriptum, quod ἐξωτερικόν appellaverint, alterum limatius, quod in commentariis reliquerint, et confirmat illud Galenus, qui init. libri de facult. nat. T. I. p. 80. Basil. haec habet: ὥσπερ οὐδ' Ἀριστοτέλους ἢ Θεοφράστου τὰ μὲν τοῖς πολλοῖς γεγραφότων, τὰς δ' ἀκροάσεις τοῖς ἑταίριος. Quibus rationibus inducti si Theophrastum scholas concedimus et matutinas et vespertinas habuisse, facillime etiam libri titulus, qui apud Diogenem V. §. 46. citatur, δειλινῶν ά β' explicari potest, quippe quem nonnulla ex iis, quae vesperi sit solitus docere, continuisse putaverim. Praeterea huc maxime pertinent, quae de Theophrasti Peripateticorumque scholis oratoriis infra ad librum, qui Θέσεις erat inscriptus, uberius ac fusius a me sunt disputata.

Atque quoniam hic librorum mentio est facta Theophrasti, paucis illico persequar, quodnam fatum rhetorici libri inde ab auctoris morte usque ad Ciceronis aetatem habuerint. Notum autem est, Strabonem narrare, Theophr. bibliothecam, quae etiam Arist. libros comprehenderit, a Neleo Scepsio, cui Theophr. eam dedisset, Scepsin translatam, deinde in testudine subterranea absconditam et a blattis et vermibus attritam sero in manus Apellicontis Teii Athenas venisse; interim vero peripateticos post Theophr. mortem, quum nihil nisi libros exotericos habuissent, maxime in thesibus se exercuisse. Apelliconte autem mortuo, ex Athenis manu expugnatis Sullam exemisse illam bibliothecam et Romam transportavisse. (cf. Strabo XIII. p. 608.) Etiam

Plutarchus (Sull. c. 26.) auctor est, a Sulla revertente ex Asia, Apellicontis bibliothecam, in qua plurimi Aristotelis et Theophrasti fuissent libri, Athenis Romam esse asportatam. Ac Stahrius quidem multos sane Aristotelis libros in usu ac notitia hominum inde ab Aristotele usque ad Ciceronem fuisse, in Arist. T. II. p. 18. copiose demonstravit, idemque p. 81. Theophrasti quoque theses Crantori notas fuisse animadvertit. Sed probabile adeo est, alios eiusdem de arte dicendi libros non primum a Sulla Romam esse allatos, sed ibi iam ante doctis hominibus notos fuisse, id quod Ciceronis libri de inventione testantur. Quos quum ille scriberet, et Aristotelis novit de arte dicendi libros et Theophrasti. Namque, ut in uno Theophrasto subsistam, quomodo, nisi huius scripta novisset, ille libro I. c. 35. disserens de ratiocinatione, utrum e quinque, an tribus e partibus constaret, haec potuisset verba facere: „Nobis commodior „illa partitio videtur esse, quae in quinque partes distributa est, quam „omnes ab Aristotele et Theophrasto profecti maxime secuti „sunt. Nam quemadmodum illud superius genus argumen- „tandi, quod per inductionem sumitur, maxime Socrates et „Socratici tractaverunt: sic hoc, quod per ratiocinationem „expolitur, summe est ab Aristotele atque a Peripateticis „frequentatum, deinde a rhetoribus iis, qui elegantissimi „atque artificiosissimi putati sunt.“ Rhetorica vero Aristotelis Tullio illo tempore nota fuisse, docent etiam libri I. c. 2. et libri II. c. 2. At qui Fabricius Marcoduranus Ciceronem libros de inventione anno 666 ab u. c. scripsisse censet, Heusdius in commentatione, quam nuperrime de L. Aelio Stilone edidit, eosdem anno 670, Purgoldus et Schützius anno 672 editos esse arbitrantur, nemo eos recentiores contendit esse. Sulla autem, Athenis captis, anno 671 venit in Italiam, annoque post C. Marium Praeneste obsedit. Itaque neutiquam eo anno credibile est illam bibliothecam ita fuisse hominibus patefactam et exploratam, ut opinari possimus, eius thesauros ab hominibus doctis ad novos libros consarcinandos, qui eodem anno editi sint, illico esse excussos ac pertractatos.

Denique etiam de orationis laudibus, quibus effertur Theophrastus, dicendum est. Ille enim propter divinitatem loquendi ab Aristotele, qui teretes aures habuit intelligensque iudicium, Θεόφραστος vocatus est (cf. supra p. 11.), et cum Stagiritae iudicio consentit Cicero, qui diligentissimus fuit lector Theophrasti, eumque delicias suas vocavit (cf. Plutarch. Cic.

c. 32.). Nam de fin. I, 2, 6. „Quid Theophr.," inquit, „mediocriterne delectat, cum tractat locos ab Aristotele ante tractatos," et Acad. I, 9, 33." „Theophrastus vir et oratione suavis et ita moratus, ut prae se probitatem „quandam et ingenuitatem ferat" et de or. 1, 11, 49. „Si Plato de rebus, a civilibus controversiis remotissimis, divinitus est locutus, quod ego „concedo, si item Aristoteles, si Theophrastus, si Carneades in rebus iis, „de quibus disputaverunt, eloquentes et in dicendo suaves atque ornati fuerunt" et Brut. 31. „Quis Theophr. dulcior," et Ac. II, 43. 134., „praesertim Theophrasto multa diserte copioseque dicente." Illud hic iuvat commonuisse, si haec aliaque Tullii de Aristotele et Theophrasto iudicia accuratius intuemur, eorum satis magnum elucere discrimen, illumque in Aristot. maxime acumen in inveniendis et indicandis rebus, dicendi nervos, scientiae denique copiam laudare, in Theophr. potissimum orationis dulcedinem, suavitatem et elegantiam mirari et efferre. Alias vero laudes, quibus veteres hos scriptores cumulaverunt, nunc non vacat enumerare, hoc tamen addam, aliquantisper a pervulgata antiquitatis opinione recedere Sen. in nat. qu. VI. c. 13., qui dicat, Theophr. non ut Graecis visum sit, divini, tamen et dulcis eloquii virum esse et nitidi sine labore. Praeter hunc dissentit etiam Basilius M., qui in epist. p. 628. (Paris. 1566.) Aristotelem et Theophrastum existimat a dialogis scribendis sese abstinuisse, destitutos videlicet Platonis copia et suavitate dicendi; quanquam ille eo ducitur errore, ut Aristotelem neget dialogos scripsisse. Recentiore vero tempore Casaubonus in prolegg. ad Th. characterismos haud exiguas sermonis virtutes in illis morum notationibus sibi visus est reperisse, quanquam de his alii aliter iudicaverunt. Meierus autem noster in dissertatione, quam lectionum catalogo in academia Halensi aestate anni MDCCCXXX habitarum praemisit, Theophrasti elocutionem a Platonis granditate dicendique sublimitate eodem intervallo distare censet, quo ab Aristotelis siccitate et sterilitate, illumque medium quoddam genus et paene Lysiae gracilitatem sequi existimat. A qua ego sententia ita dissideo, ut librorum, quos scripsit ille, putem discrimina esse respicienda. In iis enim, in quibus ille de philosophia exposuit, ut magister, aliisve de artibus, sequebatur sine dubio Aristotelis pressum ac sibi instans dicendi docendique genus, quod neutiquam ego sterile vocaverim; idem erat in enarrandis rebus liberior, solutus, facilis, ornatus etiam, qualis maximam partem in characterismis est stilus, sed magnas illas laudes oratorias sine dubio meruit orationibus, quibus di-

scipulis suis et exemplo voluit et incitamento esse. Nam in hoc dicendi genere, in quo etiam saepe loci communes erant elaborandi, eum excelluisse, infra, ubi de eius θέσεων libris erit disputandum, uberius exponam. Accedebat autem eius oratio ad genus ἐπιδεικτικόν, quod, ut Ciceronis verbis utar or. c. 11. §. 37., quasi ad inspiciendum delectationis causa comparatum erat, in quo venia dabatur concinnitati sententiarum et arguti certique et circumscripti verborum ambitus concedebantur, de industriaque, non ex insidiis sed aperte ac palam elaborabatur, ut verba verbis quasi dimensa et paria responderent, ut crebro conferrentur pugnantia, comparenturque contraria, et ut pariter extrema terminarentur eundemque referrent in cadendo sonum. De eadem orationis specie Cicero haec ibidem c. 27. §. 31.: „Hoc in genere nervorum vel minimum, suavitatis autem est „vel plurimum; est enim plenius, quam hoc enucleatum, quam autem illud „ornatum copiosumque summissius. Huic omnia dicendi ornamenta conve„niunt, plurimumque est in hac orationis forma suavitatis; in qua multi „floruerunt apud Graecos, sed Demetrius Phalereus meo iudicio praestitit ce„teris, cuius oratio cum sedate placideque labitur, tum illustrant eam, „quasi stellae quaedam, translata verba atque immutata." Hoc autem fuisse genus illud a Theophr. expressum et commendatum, apparet e Cic. Bruto c. 9. §. 37., qui „Phalereus," inquit, „non tam armis institutus quam palaestra; „processerat enim in solem et pulverem, non ut e militari tabernaculo, sed „ut e Theophrasti, doctissimi hominis, umbraculis" idemque de offic. 1, 1, 3. „Demetrius Ph., disputator subtilis, orator parum ve„hemens: dulcis tamen, ut Theophrasti discipulum possis „agnoscere." Maxime vero huc pertinet locus ille e Ciceronis partitionibus oratoriis c. 6., in quo omnes suavis dicendi generis virtutes ille exposuit, quibus Theophrasti orationes fuisse repletas et illuminatas recte statuere possumus.

Librorum, quos scripsit Theophrastus, maximus fuit numerus; apud Diogenem enim V. §. 42. ducenta viginti volumina recensentur, quae ille §. 50. constitisse narrat e ducentis triginta duobus millibus et octingentis octo versibus. Meursius autem in libello, qui Theophrastus inscribitur, extat quique in Gronov. antiq. Graec. thes. T. X., his addidit undecim alios, quos alii scriptores in Theophrasti libris numerant. Diogenis autem in ea re satis incerta fides. Nam quum ille alias e variis libris, quos legerat, membra quantumvis dissonantia atque hiulca solitus sit conferre unum

in corpus, ut saepe magis rerum farraginem, quam historiam habeamus, tum eius socordia maxime ex hoc librorum apparet catalogo, qui, uti iam Fabricius vidit in biblioth. graec. III, 9, 17, e tribus quatuorve constat frustis. Nam apud Diogenem, qui titulos librorum secundum alphabetum enumerat, quater hic ordo litterarum redit, ut quatuor catalogos ante oculos habuisse atque ex iis librorum titulos descripsisse videatur. Itaque accidit ei, ut oscitans nonnullos libros aut iisdem, aut diversis titulis bis terve commemoraret, omitteret alios, qui, uti iam dixi, apud alios comparent scriptores. Ac primus quidem catalogus inde a verbis *ἀναλυτικῶν προτέρων* usque ad titulos *περὶ ψυχῆς θέσις μία*, sive a §. 42. usque ad §. 46. mediam pertinet, atque in eo segmento centum octo scriptionum tituli extant. Alter catalogus libros a *περὶ τῶν ἀτέχνων πίστεων* usque ad *περὶ ψεύδους καὶ ἀληθοῦς ά* complectitur, §. 46, 47 et 48. enotatos; sunt autem hi sexaginta sex tituli. Iam qui praeterea sequuntur quadraginta octo librorum tituli, alphabeti ordinem non omnes premunt, videntur tamen illi duobus e catalogis conflati, quorum alter a verbis *τῶν περὶ τὸ θεῖον ἱστορίας* sub finem §. 48. incipit, alter §. 50. efficit. Nonne autem magna eius est negligentia, quod §. 47. *ἠθικοὶ χαρακτῆρες* et §. 48. *χαρακτῆρες ἠθικοί* et §. 42. *περὶ ἀναλύσεως συλλογισμῶν ά* et §. 45. *περὶ συλλογισμῶν λύσεως ά*, utrique autem iidem videntur esse libri, citantur, quod *περὶ τῶν προβλημάτων φυσικῶν ά* bis (§. 48 et §. 49.) et *προτρεπτικός ά* itidem bis (§. 49 et 50.) et *περὶ διαβολῆς* ter affertur §. 46. 49. 50?

Ante Diogenem scimus librorum Theophrasti catalogum confecisse Andronicum Rhodium, cuius rei auctor est Porphyrius in vita Plotini, apud quem haec legimus: *Μιμησάμενος Ἀπολλόδωρον τὸν Ἀθηναῖον καὶ Ἀνδρόνικον τὸν περιπατητικόν· ὧν ὁ μὲν Ἐπίχαρμον τὸν κωμῳδιογράφον εἰς δέκα τόμους φέρων συνήγαγεν· ὁ δὲ τὰ Ἀριστοτέλους καὶ Θεοφράστου εἰς πραγματείας διεῖλε.* De hoc Andronico, a Strabone XIV. p. 658. in illustribus Rhodiis numerato, ea, quae ad rem nostram pertinent, invenimus apud Plutarchum in Sullae vita c. 26. Plutarchus enim memoriae prodidit, postquam bibliotheca Apellicontis Teii a Sulla Romam esset translata, ornata illa plurimis Aristotelis ac Theophrasti libris, eius usum Tyrannioni grammatico concessum esse atque per eum Andronicum Rhodium librorum illorum exemplaria accepisse, haec vero illum divulgasse atque etiam eas, quae Plutarchi aetate in usu erant, tabulas librorum confecisse. Quae quidem Andronici tabulae fuerintne cum aliis Diogeni Laertio in recensenda librorum Theophr.

copia ante oculos, nec ne, in incerto est reliquendum, quum neque ipse Diogenes neque alii de ea re quidquam tradiderint.

Iam si singulos, qui ad artem rhetoricam spectant, Theophrasti volumus recensere libros et subtexere fragmenta de arte rhetorica, quotquot invenimus, magnae propter incertam fidem Diogeniani catalogi suboriuntur difficultates, praesertim quum haud raro, sintne illi ad rhetoricos, an ad dialecticos referendi, iure optimo ambigere possis. Quo catius videtur esse sequi in his libris Diogenis Laertii catalogos, ac deinceps singulos rhetoricos libros recensere.

1) Paragrapho XLII. apud Laertium nominantur *ἀνηγμένων τόπων ά β΄*, idem liber in Suidae brevissimo catalogo s. v. *Θεόφρ. ἀνηγμένων τόπων* commemoratur, sed quinam fuerint illi, sive deducti, sive reducti loci, nemo huc usque indagavit. Quare aut Suidam e Diogene, aut utrumque ex uno catologo eoque corrupto hausisse, utrumque autem errasse, et pro *τόπων* scribendum esse *λόγων* arbitror. Alexander enim Aphrodis. in priora Aristot. analytica (p. 201. ed. Lat. Ven. 1542 fol.) haec habet: *οὐ ταὐτὸν δέ ἐστιν ἀνάγειν τε λόγους εἰς σχήματα, ὡς ἔχει τὰ Θεοφράστου δύο τὰ ἐπιγραφόμενα Ἀνηγμένων λόγων εἰς τὰ σχήματα, καὶ μέθοδον ὑπογράψαι, δι᾽ ἧς πάντα τὰ προβλήματα ἀναλύειν καὶ ἀνάγειν δυνησόμεθα.* Nam quum saepe apud rhetores de schematibus *λέξεως*, sive *λόγου*, sive orationis figuris sermo sit, (cf. Ernesti lexic. rhet. s. v. *σχῆμα*) apparet *ἀνάγειν λόγον εἰς σχῆμα* esse orationem nudam et rudem ad figuram aliquam transferre sive, ut latini dicunt, orationem figurare. Egit igitur ille liber de oratione figurata. Eo magis autem veri est similis coniectura, *λόγων* pro *τόπων* scribendum esse, quod et Laertius et Alexander Aphrodisius hunc librum e duobus voluminibus constitisse dicunt.

2) Alterum, quem de Theophrasti libris ad artem dicendi credimus spectasse, indicavit Laertius §. 42. titulo *ἀγωνιστικὸν τῆς περὶ τοὺς ἐριστικοὺς λόγους θεωρίας.* *Ἐριστικοί λόγοι* sunt altercationes, contentiosum dicendi genus, et in iudiciis, et in concionibus adhibitum; vocantur illi etiam *ἐναγώνιοι*, et ab iis discernuntur orationibus, quae ad ostentationem, et ad audientium voluptatem sunt compositae. Itaque etiam haec *λέξις ἐριστική* opponitur *τῇ γραφικῇ* sive *εὐαναγνώστῳ*, quae lectioni est destinata (cf. Demetr. de eloc. 193 Aristot. rhet. III, 12.). Et quoniam *λόγοι ἐριστικοί* in actu et contentione constabant, etiam *ἀγῶνες* vocabantur, et *λέξις* ista *ἀγωνιστική* a Dion. ad Amm. 1, 2. appellata est; et *τὸ ἀγωνιστικόν* apud Longinum

c. 22. idem est, quod τὸ ἐναγώνιον, τὸ παθητικόν, vehemens, affectus plenum, incitatum dicendi genus. Itaque iam quaeritur, quid sibi velit τὸ ἀγωνιστικὸν τῆς θεωρίας περὶ τοὺς ἐριστικοὺς λόγους, vehemens dicendi genus disciplinae, quae agit de contentioso i. e. vehementi genere dicendi? Has quidem ineptias quis ferat? nam doctrina illa, sive praecepta, in quibus de altercationibus agebatur, non ipsa poterant altercationi similia neque fervida esse ac vehementia. Quare hic quoque vitium arbitror latere et scribendum esse ἀγωνιστικὸν, ἢ τῆς περὶ τοὺς ἐριστικοὺς λόγους θεωρίας, scilicet βιβλίον. Una igitur ἢ vocula inserta, tollitur omnis difficultas. Et iam supra significavi, ἀγωνιστικόν et ἐριστικὸν λόγον nihil differre; id quod paucis praeterea in animo est demonstrare. Plato enim in sophista τοὺς περὶ τὰς ἔριδας ἐσπουδακότας versari dicit ἐν ἐριστικῇ τέχνῃ, ἀντιλογικῇ, ἀμφισβητητικῇ, μαχητικῇ, ἀγωνιστικῇ, et Themist. orat. IV. ἀγωνίστας περὶ λόγους vocat τὴν ἐριστικὴν ἔχοντας τέχνην, et Suidas s. v. Πρωταγόρας· πρῶτος οὗτος τοὺς ἐριστικοὺς λόγους εὗρε καὶ ἀγῶνα λόγων ἐποίησε. Id autem, quod h. l. narrat Suidas, Protagoram primum de hoc contentioso dicendi genere esse commentatum, refert etiam Diog. L. IX. §. 52. ἐριστικοὶ autem λόγοι, quum proprie omne altercandi genus complecterentur, post magis magisque tantum de sophistarum contentionibus, de eorum captiosis interrogationibus subtilibusque conclusionibus, quibus adversarios de gradu deiicere conabantur, intelligi coeperunt, et Isocrates primus, uti Plutarchus in vit. Isocr. p. 329. ed Reisk. narrat, ἐριστικούς et πολιτικοὺς λόγους disiunxit. Ac Theophrastum etiam in hoc libello magis philosophicarum disputationum rationem habuisse, quam iudicialium ac forensium, propterea est credibile, quod alium περὶ λόγων δικανικῶν librum, de quo infra sermo erit, conscripsit. Viam autem praeiverat Aristoteles, cuius itidem apud Laert. V. §. 22. duo libri περὶ ἐριστικῶν memorantur. De tota harum contentionum arte plura habet Cresoll. in theatr. rhet. II, 3.

3) §. 43. ἐπιχειρημάτων ά-ιή. Quum ἐπιχείρημα apud scriptores artium alios alium habeat intellectum, quid Theophrastus illo nomine significaverit, quidque hoc in libro, qui octodecim e voluminibus constabat, exposuerit, admodum difficile esset adsequi, nisi in ea re exploranda certis uteremur ducibus Quintiliano et Cicerone, quorum alter in institutionum libro X. 10, 5 et 6., aliorum quorundam exposita ἐπιχειρήματος vocis notatione, haec addit: „aliis videtur non destinatam, vel inchoatam, sed „perfectam probationem hoc nomen accipere et ultimam speciem: ideo-„que propria eius appellatio et maxime in usu posita est, qua significa-„tur certa quaedam sententiae comprehensio, quae ex tribus „minimum partibus constat. Quidam epichirema rationem appella-„runt; Cicero melius ratiocinationem.“ Cicero vero de ratiocinatione loquitur in libro de invent. I. c. 31. §. 51., et 34. §. 57—76, profitens, se sequi in ea re Aristotelis, Peripateticorum Theophrastique auctoritatem. Atque ille quidem cap. 31. argumentationem ita discernit a ratiocinatione, ut omnem argumentationem constare dicat aut ex inductione, aut e ratiocinatione, et ratiocinationem c. 34. his definit verbis: „Ratiocinatio est oratio ex ipsa re probabile aliquid eliciens, quod expo-„situm et per se cognitum sua se vi ac ratione confirmet. Hoc de genere „qui diligentius considerandum putaverunt, cum idem usu sequerentur, „paululum in praecipiendi ratione dissenserunt; nam partim quinque eius „partes esse dixerunt, partim non plus, quam in tres partes posse distri-„bui putaverunt.“ Deinde quinque illas ratiocinationis partes enarraturus praecipit, ut primum exponatur summa argumentationis, sive propositio, quae rationibus variis sit adprobanda; his autem duabus partibus ratiocinationis ut addatur assumtio, cuius itidem afferenda sit approbatio, quinto denique loco ut adiungatur complexio, quae aut id inferat solum, quod ex omnibus partibus cogatur, aut addat id, quod ex propositione et assumtione conficiatur. His expositis causas profert, cur nonnulli tres tantum partes ratiocinationis esse voluerint; ipse vero §. 61.: „Nobis commodior, inquit, illa partitio videtur esse, quae in quinque par-„tes distributa est, quam omnes ab Aristotele et Theophrasto pro-„fecti maxime secuti sunt. Nam quemadmodam illud superius genus „argumentandi, quod per inductionem sumitur, maxime Socrates et So-„cratici tractaverunt, sic hoc, quod per ratiocinationem expolitur, summe „est ab Aristotele atque a Peripateticis et Theophrasto fre-„quentatum, deinde a rhetoribus iis, qui elegantissimi atque artifisiosis-„simi putati sunt.“ Atque fatetur Cicero, esse etiam alias argumentationes, quae, quod aut alterutra, aut utraque adprobatio propter propositionis assumtionisve perspicuitatem omitti possit, e tribus quatuorve partibus constent; sed has non ratiocinationes, sed argumentationes vocat, et postquam de his c. XXXVII, pluribus exposuit, addit §. 67., „quinque sunt „igitur partes eius argumentationis, quae per ratiocinationem „tractatur.“ De his igitur ratiocinationibus, quae quinque e partibus

constabant, Theophrastus octodecim commentatus est voluminibus, quae
Ciceroni, quum illa disputaret, videntur ante oculos versata esse. Prae-
ter haec octodecim volumina Diogenes §. 49. alios duos epichirematum libros
a Theophrasto editos esse tradit. Viam autem ei in his scriptionibus praei-
verat Aristoteles, quem duos edidisse ἐπιχειρημάτων libros memoriae pro-
didit Laertius V, 24. Attamen hic in iis rhetoricis libris, qui supersunt,
nullum harum ratiocinationum mentionem fecit. Cuius ego rei causam arbi-
tror esse hanc, quod ἐπιχειρήματα ad orationis elocutionem, sive, ut Ciceronis
verbis utar (de inv. I, 40. §. 74.), ad inventi artificiosam expolitionem spe-
ctabant, eam autem rem in illis libris non admodum attigit Aristoteles, e
cuius operibus nunc quidem de ea re nihil, nisi quod in Topic. VIII, 9, 16.
ἐπιχείρημα vocat συλλογισμὸν διαλεκτικόν, compertum habemus. Auctoris vero
librorum ad Herenn. paullum a Ciceronis differt sententia. Hic enim II, 2.,
ἐπιχείρημα, quod nomen apud Ciceronem ipsum nusquam reperitur, his ex-
plicat verbis: „reliquum videbatur, ut ostenderemus, quales argumentatio-
„nes, quas Graeci ἐπιχειρήματα appellant, sequi, et quales vitari oporte-
„ret" et II. c. 18. §. 90. „Absolutissima et perfectissima argumen-
„tatio est ea, quae in quinque partes est distributa, propositio-
„nem, rationem, rationis confirmationem, exornationem,
„complexionem. Propositio est, per quam ostendimus summatim, quid
„sit, quod probare volumus. Ratio est caussa, quae demonstrat, verum
„esse, quod intendimus, brevi subiectione. Rationis confirmatio est ea,
„quae pluribus argumentis corroborat breviter expositam rationem. Exor-
„natio est, qua utimur rei honestandae et collocupletandae caussa, confir-
„mata argumentatione. Complexio est, quae concludit breviter, colligens
„partes argumentationis." E quibus apparet, quae Cicero habeat, ea multo
et accuratiora esse et planiora, qui sua se fatetur a Theophrasto mutua-
tum esse, ut de illorum librorum argumento nulla possit esse dubita-
tio. A Cicerone etiam aliquantisper recedunt et Quintil. V, 14, 5. et Cas-
siodorus in rhetor. compend. (rhet. Pithoei p. 341.). Nam quanquam Cassio-
dorus in his consentit cum Cicerone, quod „epichirema est," inquit „descen-
„dens de ratiocinatione latior excursus rhetorici syllogismi, latitudine di-
„stans et productione sermonis a dialecticis syllogismis, propter quod rhe-
„toribus datur;" tamen cum Quintiliano contendit, hunc syllogismum posse
esse tripertitum, quadripertitum et quinquepertitum. Verumtamen omnes
illi ita consentiunt, ut ἐπιχείρημα in orationis forma et expolitione dicant

constare, quum contra alii hoc nomen ad sententiae argumentum atque ma-
teriam retulerunt. Hermogenes enim de inv. III, 5. epichiremata e loco,
tempore, moribus, persona, causa, facto esse docet repetenda, ita ut po-
tius aggressionem, uti etiam Valgius apud Quint. V, 10, 3. hoc verbum in-
terpretatus est, intelligat, neque de conclusionis conformatione et oratio-
nis expolitione quidquam praecipiat. Minucianus denique unamquamque
vocat argumentationem ἐπιχείρημα, eiusque duo ponit esse genera παραδείγ-
ματα et ἐνθυμήματα apud Walz. IX. p. 602.

4) Apud Dion. §. 43. citantur praeterea ἐνστάσεων ά β' γ'., quorum li-
brorum quale fuerit argumentum, facile possumus explicare auctore Aristo-
tele, qui de enstasi rhet. II. 25 et 26. disputavit. Atque ille haec habet:
c. 26, 4.: ἡ ἔνστασις οὐκ ἔστιν ἐνθύμημα, ἀλλὰ τὸ εἰπεῖν δόξαν τινά, ἐξ ἧς
ἔσται δῆλον, ὅτι οὐ συλλελόγισται, ἢ ὅτι ψεῦδός τι εἴληφεν, et c. 25. docet, ad
refutandam sententiam aliquam aut contraria argumentatione, aut ἐνστάσει opus
esse, hanc vero et ex eodem repeti posse, et e simili, et e contrario, de-
nique etiam ex iudicatis, quae omnia singulis ille exemplis explanat. Iam
quoniam in omnibus caussis maxima est consumenda opera in adversario
refellendo, illud nemo mirabitur, et Aristotelem unum librum, qui ἐνστά-
σεις erat inscriptus (cf. Diog. Laert. V, 23.), et Theophrastum de hoc re-
futandi genere tres conscripsisse libros. Materia autem abunde suppedi-
tavit. Primum enim de discrimine, quod inter ἀντισυλλογισμόν, sive con-
trariam argumentationem et ἔνστασιν intercedebat, deinde de variis ἐνστά-
σεως generibus, denique de eius usu erat disserendum. De enstasi etiam
Hermogenes praecepit in libris de invent. (Walz T. III. p. 120.) et anony-
mus eius interpres apud Walzium T. VII. p. 757, eamque multis exem-
plis illustravit Maximus Planudes apud Walzium IV, p. 400.

5) Proxima paragrapho (§. 44.) Diogenes θέσεις κδ', quaestionum
libros viginti quatuor affert, opus Theophrasti laudatissimum, de
quo paullo accuratius est dicendum. Thesis quid sit, Ciceronis lectoribus
satis notum est. Is saepe praecipit, ut orator controversiam a re certis
in personis, temporibus, locis, actionibus ac negotiis locata avocet, et ad
communem quaestionem ac disputationem traducat, quoniam, re universa
probata, simul causa, quae agatur, probata sit. Talem quaestionem voca-
bant thesin, id quod et Cicero et graeci rhetores testantur. Cicero enim
in orat. c. 14. §. 46. „Quaestio," inquit, „a propriis personis et tempori-

„bus ad universi generis orationem traducta appellatur θέσις," et ib. c. 36. §. 125. „Universi generis quaestio, quam Graeci appellant θέσιν," et Aphthonius, (Walz I. p. 108.) Θέσις ἐστὶν ἐπίσκεψις λογικὴ θεωρουμένου τινὸς πράγματος et p. 109. διενήνοχε δὲ θέσις ὑποθέσεως τῷ τὴν μὲν ὑπόθεσιν ἔχειν περίστασιν, τὴν δὲ θέσιν ἀπερίστατον εἶναι. Melius etiam Hermogenes ibid. p. 50. τῆς θέσεως ὅρον ἀποδεδώκασι τὸ τὴν θέσιν εἶναι ἐπίσκεψιν πράγματός τινος θεωρουμένου ἀμοιροῦσαν πάσης ἰδικῆς περιστάσεως. Ἔοικε γὰρ ἡ θέσις καθολικῆς συμβουλῆς τόπον ἐπέχειν, οὐ πρός τι πρόσωπον ὑποκείμενον, ἀλλ' ἁπλῶς κοινῶς πρὸς ὁτιοῦν κατ' ἀναθεώρησιν, μόνον τῶν προσόντων τῷ πράγματι τὴν διέξοδον λαμβάνουσα. Harum quaestionum nonnulla exempla servavit Cicero de oratore III. c. 28 et 29. „Virtus suam propter dignitatem, „an propter fructus aliquos expetatur? Sitne sapienti capessenda respu„blica? Sitne aliquando mentiri boni viri?" servaverunt etiam Aphthonius, εἰ γαμητέον, et Nicolaus, εἰ τειχιστέον τὰς πόλεις, εἰ πλευστέον Walz. T. I. p. 109 et p. 415 et 417.

Has vero theses non primus dixit Aristoteles, uti Cicero aliquoties dicit, sed invenit eas Protagoras. Nam apud Diogenem IX, p. 52 et 53. de Protagora haec legimus: πρῶτος λόγων ἀγῶνας ἐποιήσατο - καὶ τὸ νῦν ἐπιπόλαιον γένος τῶν ἐριστικῶν ἐγγέννησε - καὶ πρῶτος κατέδειξε τὰς πρὸς τὰς θέσεις ἐπιχειρήσεις, ὥς φησιν Ἀρτεμίδωρος ὁ διαλεκτικὸς ἐν τῷ πρὸς Χρύσιππον atque apud Suidam s. v. πρῶτος οὗτος τοὺς ἐριστικοὺς λόγους εὗρε καὶ ἀγῶνα λόγων ἐποιήσατο, quae significant, Protagoram orationes habuisse, in quibus universi generis quaestiones tractaret, simul vero illud persuadent nobis, eum etiam discipulos, a quibus magnam mercedem acceptavit, de thesibus dicentes audivisse. Eam docendi iuvenes rationem credibile est ad ceteros sophistas et ad rhetores transiisse, atque etiam pertinuisse et ad Academicos, et ad Peripateticos. Nam etiam in Academicorum scholis de thesibus esse disputatum, eius rei locupletes auctores habemus Diogenem, qui IV. §. 19. de Polemone haec narrat: οὐ καθίζων ἔλεγε πρὸς τὰς θέσεις, περιπατῶν δὲ ἐπεχείρει, et de Arcesila IV. §. 40.: ποτὲ Ἀθήνησιν ἐν τῷ Πειραιεῖ πρὸς τὰς θέσεις λέγων ἐχρόνισε, et Ciceronem, apud quem de or. III, 27. §. 187. haec legimus: „alii habent ancipites disputationes, in qui„bus de universo genere in utramque partem disseri copiose licet, quae „exercitatio nunc propria duarum philosophiarum, de quibus „ante dixi," (dixerat autem de Academicis et Peripateticis) „putatur." Maxime vero a Peripateticis haec theses dicendi exercitatio est

frequentata; quare nil est mirandum, cur Cicero, quanquam immerito, Aristotelem eius rei principem atque inventorem dixerit.

Ac si scriptores comparamus, qui hanc rem memoriae prodiderunt, non solum hoc elucet, Aristotelem, Theophr., ceteros Peripateticos coram discipulis suis de thesibus in utramque partem disputavisse, ita ut duas haberent orationes, quibus contrarias ac sibi oppositas tuerentur sententias, qua ratione maxime ingenii acumen atque elegantia exsplendescere potuit, verum illud etiam apparet, eosdem, tanquam magistros, discipulos suos de thesibus disputantes atque orationes habentes audivisse, eorumque exercitationibus moderatos esse. Ita enim, qui rhetoricam docebant, faciebant Ciceronis aetate, qui se ad Apollonium Molonem applicavit ob eam, ut ipse dicit, causam, quod actor in veris caussis scriptorque praestans fuit, tum in notandis animadvertendisque vitiis et instituendo docendoque prudentissimus, qui dedit operam, ut nimis redundantem Ciceronem et superfluentem iuvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret et quasi extra ripas diffluentem coerceret. cf. Cic. Brut. c. 91. §. 316. Idem Cicero in simili re duplex illud dicendi audiendique munus rhetorum testatur de or. I, 57. „In hoc „genere pueri apud magistros exercentur omnes, quum in eiusmodi cau„sis alias scriptum, alias aequitatem defendere docentur." Denique magis illud comprobat Seneca in controv. 25. p. 310. „Non Latroni mos erat, „quemcunque audire declamantem, declamabat ipse tantum et aiebat se „non esse magistrum sed exemplum. Nec ulli alii contigisse scio quam „apud Graecos Nicetae, apud Romanos Latroni, ut discipuli non audiri „desiderarent sed contenti essent audire." Quod audiendi officium ne quis ab Aristotelis Theophrastive persona alienum, aut eorum gravitate indignum existimet, scriptorum testimoniis hoc e re fuerit illustrasse atque confirmasse. Cicero illud tribus comprobat locis: Tuscul. quaest. „II, 3, 9. „Mihi semper Peripateticorum Academiaeque consuetudo de „omnibus rebus in contrarias partes disserendi placuit, quod esset ea „maxima dicendi exercitatio, qua princeps usus est Aristo„teles, deinde eum qui secuti sunt;" et de fin. V, 4. 10. „Dis„serendi ab iisdem" (Aristotele et Theophrasto) „non dialectice so„lum, sed etiam oratorie praecepta sunt tradita, ab Aristoteleque „principe de singulis rebus in utramque partem dicendi exer„citatio est instituta, ut non contra omnia semper, sicut Arcesilas,

„diceret, et tamen, ut in omnibus rebus, quidquid ex utraque parte pos-
„set, expromeret.“ Denique ille haec habet, quae maxime favent sententiae
„nostrae in orat. c. 14. §. 46.: „In hac“ (quaestione a propriis personis et
temporibus ad universi generis orationem traducta) „Aristoteles adole-
„scentes non ad philosophorum morem tenuiter disserendi, sed ad co-
„piam rhetorum, in utramque partem, ut ornatius et uberius
„dici posset, exercuit.“ Idem testatur Laertius V, §. 3. de Aristotele
narrans: πρὸς θέσιν συνεγύμναζε τοὺς μαθητάς, ἅμα καὶ ῥητορικῶς ἐπασκῶν,
ac pluribus demonstrat Alexander Aphrodis. in comment. ad Arist. Top. 1, 2,
quae ad verbum transscripsit Suidas s. v. γυμνασία: γυμνασίαν λέγοι ἂν (Ἀρι-
στοτέλης) τὴν εἰς ἑκάτερον μέρος ἐπιχείρησιν. ἦν δὲ σύνηθες τὸ τοιοῦτο εἶδος
τῶν λόγων τοῖς ἀρχαίοις, καὶ τὰς συνουσίας τὰς πλείστας ἐποιοῦντο τοῦτον τὸν
τρόπον...... θέσεώς τινος τεθείσης εἰς ταύτην γυμνάζοντες αὑτῶν τὸ πρὸς τὰς
ἐπιχειρήσεις εὑρετικὸν ἐπεχείρουν, κατασκευάζοντες καὶ ἀνασκευάζοντες
δι᾽ ἐνδόξων τὸ κείμενον. καί ἔστι βιβλία τοιαῦτα Ἀριστοτέλει καὶ Θεοφρά-
στῳ γεγραμμένα, ἔχοντες τὴν εἰς τὰ ἀντικείμενα δι᾽ ἐνδόξων ἐπιχεί-
ρησιν. Atque in his disputationibus verisimile est non semper unum in
utramque partem disseruisse, sed saepe ab altero thesi aliqua dicta atque
pertractata, alterum surrexisse, qui illum impugnaret contrariamque tue-
retur sententiam; quos si statueris in disputando saepe admodum fuisse te-
naces, habebis, qui Aristotelis verba in Ethic. ad Nicom. 1, 3. explices: τὸν
οὕτω ζῶντα οὐδεὶς ἂν εὐδαιμονίσειεν, εἰ μὴ θέσιν διαφυλάττων. Atque
Aristoteles hoc disputandi genus tam sedulo coluit, ut apud Laert. §. 24.
in eius libris θέσεων ἐπιχειρηματικῶν viginti quinque volumina, et θέσεων
ἐρωτικῶν quatuor, et θέσεων φιλικῶν duo, et θέσεων περὶ ψυχῆς unum memo-
rentur. Eadem autem theses dicendi consuetudo tenuit post Theophrastum
apud Peripateticos. Itaque Quintilianus XII, 2, 24., exponens, quantum
quaeque philosophorum disciplina ad oratorem perficiendum facere possit,
adiicit: „Peripatetici studio quoque se quodam oratorio iactant. Nam
„theses dicere exercitationis gratia fere est ab his institutum;“ et Cic. in
or. c. 36. §. 126. „Quidquid est illud, in quo quasi certamen est contro-
„versiae, quod graece κρινόμενον dicitur, id ita dici placet, ut traduca-
„tur ad perpetuam quaestionem atque de universo genere di-
„catur... Dicetur autem non Peripateticorum more, est enim illorum
„exercitatio elegans iam inde ab Aristotele constituta, sed
„aliquanto nervosius.“ Denique huc facit ille Strabonis locus, cuius iam

supra p. 19. mentio est facta. Ille enim, postquam plerosque et Aristo-
telis, et Theophrasti libros ducentos fere per annos latuisse narravit, ad-
dit haec: συνέβη τοῖς ἐκ τῶν περιπάτων, τοῖς μὲν πάλαι τοῖς μετὰ Θεόφραστον,
ὅλως οὐκ ἔχουσι τὰ βιβλία πλὴν ὀλίγων καὶ μάλιστα τῶν ἐξωτερικῶν, μηδὲν ἔχειν
φιλοσοφεῖν πραγματικῶς, ἀλλὰ θέσεις ληκυθίζειν, i. e. omne tempus in
thesibus exornandis consumere.

Sed ut ad Theophrastum redeamus, hic summam famae celebritatem
his thesibus, in quibus fere omnis eius facundiae nitebatur gloria (cf. su-
pra p. 20.), nactus est. Commemorantur illae et apud Alexandrum Aphr.
l. c. et apud Theonem (Walz T. I. p. 165.): παραδείγματα τῆς τῶν θέσεων
γυμνασίας λαβεῖν ἔστι παρά τε Ἀριστοτέλους καὶ Θεοφράστου· πολλὰ γάρ ἐστιν
αὐτῶν βιβλία θέσεων ἐπιγραφόμενα, earumque praeconium facit apud Athen.
IV. p. 130. D. Hippolochus quidam, qui ad Lynceum, Theophrasti disci-
pulum, Athenis commorantem, haec scribit: σὺ μόνον ἐν Ἀθήναις μένων εὐ-
δαιμονίζεις τὰς Θεοφράστου θέσεις ἀκούων. Neque minor Cranto-
ris, Theophrasti aequalis laus, qui τὰς Θεοφράστου θέσεις aiebat ὀστρέῳ
γεγράφθαι (Laert. IV, 27.), qua Crantoris voce si Fabricius illarum quae-
stionum putat notatam esse asperitatem, vehementer errat. Etenim nus-
quam reperitur aliqua significatio asperitatis Theophrasti, qui apud omnes
laudem habet summae suavitatis ac dulcedinis. Accedit, quod Graeci ae-
que ac Romani coloris notione ad orationis pulchritudinem significandam
utuntur. Itaque Lucian. de conscr. hist. §. 48. praecipit ita: materia scribendi
collecta, ἐπιθεὶς τὴν τάξιν ἐπαγέτω τὸ κάλλος καὶ χρωννύτω τῇ λέξει. Cic. Brut.
c. 87. „intelliges nihil Catonis lineamentis, nisi eorum pigmentorum, quae
„inventa nondum erant, florem et colorem defuisse,“ et ibid. §. 170. „eo-
„rum oratio non urbanitate quadam quasi colorata.“ Idem in epist. ad
Att. II, 1, 1. Aristotelia pigmenta i. e. ornamenta orationis ex Aristote-
lis praeceptis, commemorat. Quid quod hac ipsa purpurae imagine utitur
Cicero, de numerorum orationis mixtura loquens, in orat. c. 58. „Quos
autem numeros cum quibus tanquam purpuram misceri oporteat,
nunc dicendum est,“ quocum Sidonii locus est conferendus epist. 2, 10.
„Omnes nobilium sermonum purpurae per incuriam vulgi deco-
lorabuntur.“ Harum igitur thesium libros viginti quatuor Theophrastus
scripsit, quibus alii tres sunt addendi, §. 49. apud Laertium θέσεις γ' titulo
citati. Nam quamquam hic titulus, uti supra p. 22. est expositum, alio ex
fonte fluxit, tamen veri est simile, Theophrastum harum thesium vel bina

edidisse opera, quem etiam epichirematum duas confecisse collectiones
supra vidimus (p. 26.). Sed ne quis reprehendat, quod θέσεις κδ' non the-
ses viginti quatuor, sed thesium libros viginti quatuor vertimus,
id monemus, saepe titulos nominativo casu proferri, qui plura eiusdem
rei exempla in libro inesse significet; cf. Diogen. Laert. V. §. 47. ἐγκώμια
θεών ά, λύσεις ά, παραγγέλματα ῥητορικῆς ά et ibid. §. 24. θέσεις περὶ ψυχῆς ά.
Accedit, quod Theon multa Aristotelis Theophrastique volumina thesium
commemorat. Si vero Theophrastus tantum viginti quatuor, vel viginti sep-
tem theses scripsisset, de multis eius voluminibus non posset esse sermo.

6) Rhetoricis liber etiam περὶ τῶν ἀτέχνων πίστεων, quem Diogenes
§. 46. citat, est adscribendus. Aristoteles bipartitum probationum τῶν
πίστεων censuit esse genus, alterum earum, quae non excogitarentur ab
oratore, sed in re positae ratione tractarentur, alterum, quas ex causa
ipse orator traheret et quodammodo gigneret, atque has quidem ἐντέχνους
vocavit, sive artificiales, illas ἀτέχνους, sive inartificiales. Artificiales iudi-
cavit sitas esse ἐν τῷ ἤθει τοῦ λέγοντος, ἐν τῷ τὸν ἀκροατὴν διαθεῖναί πως, ἐν
αὐτῷ τῷ λόγῳ, inartificiales affert de rhet. I, 15, 3—33. has: νόμους, μάρτυ-
ρας, συνθήκας, βασάνους, ὅρκους, quibus quomodo sit utendum, breviter deinceps
exponit. At sicuti pleraque non ab uno et inveniuntur et perficiuntur, ita
hanc rem et alii ante eum attigerunt, et auctor rhetoricae ad Alexandrum paene
iam totam absolverat. Is enim c. 8. εἰσὶ δὲ δύο τρόποι τῶν πίστεων. γίνονται γὰρ
αἱ μὲν ἐξ αὐτῶν τῶν λόγων καὶ τῶν πράξεων, καὶ τῶν ἀνθρώπων, αἱ δ' ἐπίθετοι τοῖς
λεγομένοις καὶ τοῖς πραττομένοις· τὰ μὲν γὰρ εἰκότα καὶ παραδείγματα, καὶ γνῶμαι
καὶ τὰ σημεῖα καὶ οἱ ἔλεγχοι πίστεις ἐξ αὐτῶν τῶν λόγων, καὶ τῶν ἀνθρώπων, καὶ τῶν
πραγμάτων εἰσίν, ἐπίθετοι δὲ μαρτυρίαι, ὅρκοι, βάσανοι. Aristoteles autem
primus et certis nominibus haec discrevit probationum genera, ut ἐντέχνους
et ἀτέχνους vocaret, et inartificiales ita explevit, ut omnes rhetores graeci
eundem retinerent inartificialium numerum. Minucianus igitur apud Walz.
T. IX. p. 601.: ὁ ῥήτωρ πίστεσι χρήσεται ταῖς μὲν ἐντέχνοις, ταῖς δὲ ἀτέχνοις.
ἄτεχνοι μὲν οὖν εἰσιν αἱ μηδὲν τῆς τοῦ ῥήτορος μεθόδου δεόμεναι πλὴν ὅσον εἰς
τὸ ἐν καιρῷ αὐταῖς τῷ προσήκοντι χρήσασθαι, οἷον μαρτυρίαι, ὅρκοι, προκλή-
σεις, βάσανοι, νόμοι, συνθῆκαι· ἔντεχνοι δὲ, ὅσαι καὶ εὑρέσεως, καὶ οἰκονομίας
δέονται μετὰ τέχνης· Eadem sequebantur Romani, ita tamen, ut inartifi-
cialium probationum numerum secundum ius suum amplificarent. cf. Cic.
de orat. II, 27. „Ad probandum duplex est oratori subiecta materies, una
„rerum earum, quae non excogitantur ab oratore, sed in re positae ratione
„tra-

„tractantur, ut tabulae, testimonia, pacta, conventa, quae-
„stiones, leges, senatusconsulta, res iudicatae, decreta,
„responsa et reliqua, si quae sunt, quae non ab oratore pariuntur, sed
„ad oratorem a causa atque a reis deferuntur; altera est, quae tota in dis-
„putatione et argumentatione oratoris collocata est.“ His addimus Quintil.
„V, 1. „Ac prima quidem illa partitio ab Aristotele tradita consensum
„fere omnium meruit, alias esse probationes, quas extra dicendi rationem
„acciperet orator; alias, quas ex causa traheret ipse, et quodammodo gigneret.
„Ideoque illas ἀτέχνους id est inartificiales, has ἐντέχνους id est artificiales
„vocaverunt. Ex illo priore genere sunt praeiudicia, rumores, tor-
„menta, tabulae, iusiurandum, testes.“ Deinde idem ille, quomo-
do utendum sit probationibus inartificialibus, sex capitibus exponit. Theo
phrastus autem, qui multum operae posuit in explicandis variis argumen-
tationibus, artificiosae quibus niterentur probationes, disseruit enim ille de
enthymemate (Nr. 8.) et de epichiremate (Nr. 3.) et de enstasi (Nr. 4.) et de
paradigmate (Nr. 15.), non mirum est, si etiam ad inartificiales probationes
animum advertit atque de earum usu uno libro diligentius commentatus est.

7) Iam qui §. 46. sequitur liber περὶ τῶν ἁπλῶν διαπορημάτωνα,
ad quamnam materiam pertinuerit, quorsumque sit referendus, plane in-
certum est. Nam apud Aristotelem quidem in top. VIII, 9, 16. ἀπόρη-
μα συλλογισμὸς διαλεκτικὸς ἀντιφάσεως vocatur: si vero de eadem argumen-
tatione Theophrastus disputavisset, nomen etiam, a praeceptore traditum,
opinor, retinuisset. Διαπόρησις vero figura apud rhetores admodum usi-
tata, cf. Alexandri περὶ σχημάτων Walz T. VIII. p. 454. διαπόρησίς ἐστιν,
ὅταν περὶ ἑνὸς πράγματος δύο ἢ πλέονας ἐννοίας ἔχωμεν ἢ καὶ προσποιώμεθα μὴ
οὖσας ἔχειν, εἶγε ἀποροῦμεν, καὶ μὴ ἐφιστῶμεν ἐπ' αὐταῖς, ὡς ἔχει τὸ τοιοῦτον·
εἴτε τινὸς εἰπόντος εἴτε αὐτὸς συνιεὶς οὐκ ἔχω εἰπεῖν ὅτι κ. τ. λ. et εἴτε χρὴ φι-
λανθρωπίαν αὐτὴν λέγειν, εἴθ' ὅ, τι δή ποτε ἄλλο. Similia sunt Phoebammonis
περὶ σχημάτων p. 512. et Tiberii p. 533. et Anonym. περὶ σχημάτων p. 703.
Eadem dicendi figura iam Ciceronis aetate nota. Etenim auctor ad Her.
IV, 29. §. 40. „Dubitatio est, cum quaerere videtur orator, utrum de
„duobus potius, aut quid de pluribus potissimum dicat, hoc modo: Obfuit
„eo tempore plurimum reipublicae consulum sive stultitiam, sive malitiam di-
„cere oportet, sive utrumque.“ De dubitatione etiam praecipiunt Cic. de
or. III, §. 203. et 207. et in or. c. 39. et Quint. IX, 2, 19. Sed apud Graecos
haec figura semper διαπόρησις, non διαπόρημα vocatur. Quocirca in incerto

est relinquendum, ille liber in quo argumento versatus sit, praesertim quum ἁπλῶν quae addita est vox rei notationem magis etiam dubiam reddat.

8) Diogenes §. 47. περὶ ἐνθυμημάτων ά Theophrasto tribuit, cuius libri etiam Hermogenis interpres apud Walz. T. IV. p. 35. iniicit mentionem. Hic enim ubi monuit, falli eos, qui Hermogenis librum περὶ στάσεων nude περὶ ῥητορικῆς appellent, quum ille non totam, sed leviorem aliquam eius partem complectatur, ita pergit: ἐπέγραψεν οὖν περὶ στάσεων δηλῶν, ὅτι περὶ μόνων τῶν ἐν δικαστηρίοις καὶ βουλευτηρίοις διδάσκει, ἀντιδιαστέλλων πρὸς τὰς ἄλλας ῥητορικὰς τέχνας· ἔστι γάρ, ὡς ἔφαμεν, ἡ περὶ τῶν ἰδεῶν αὐτοῦ τέχνη, καὶ Θεοφράστῳ δὲ γέγραπται τέχνη ῥητορικὴ περὶ ἐνθυμημάτων καὶ Ἀλεξάνδρῳ τῷ τοῦ Νουμηνίου, καὶ Λολλιάνῳ περὶ ἀφορμῶν ῥητορικῶν, καὶ Ἀψίνῃ περὶ προοιμίων καὶ πίστεων, καὶ ἄλλοις πολλοῖς περὶ ἄλλων. Inde videtur apparere, totum huius libri titulum fuisse τέχνη ῥητορικὴ περὶ ἐνθυμημάτων, quanquam hunc ab ipso Theophrasto esse profectum pro certo non potest affirmari. Nam libri rhetorici, quamcunque eloquentiae partem attingebant, saepe τέχναι ῥητορικαί vocabantur; veluti quae Menander περὶ ἐπιδεικτικῶν scripsit, ea a rhetore ignoto quodam apud Walz T. IX. p. 247. appellantur τὰ τοῦ Μενάνδρου, ἃ ἐπιγράφεται Μενάνδρου ῥήτορος περὶ τέχνης ῥητορικῆς. Multo vero minus illud contendere ausim, quod Spengelius in art. script. p. 3. facit, qui liber apud Diogenem §. 48. περὶ τέχνης ῥητορικῆς ά nomine afferatur, hunc non alium nisi hunc περὶ ἐνθυμημάτων, de quo nunc quaerimus, esse, cuius titulum, quum esset τέχνη ῥητορικὴ περὶ ἐνθυμημάτων, duo in frusta dilaceratum in caussa fuisse, ut duos referret Laertius libros; nullo enim hoc argumento comprobari potest; id quod, ubi ad illum librum pervenero, paucis ego absolvam. Sed quid liber noster περὶ ἐνθυμημάτων docuerit, si quaeritur, tota haec ex enthymematis definitione disputatio pendet. De enthymemate vero admodum variae virorum doctorum sententiae. Atque ut a recentioribus eloquentiae doctoribus initium faciamus, Vossius in instit. orat. III, 5, 5. enthymema constare putavit duabus ex syllogismi partibus, aut prima secundave propositione, aut etiam conclusione omissa. Atque sunt sane inter veteres, qui huic verbo eandem tribuant significationem, in quibus est Maximus Planudes (Walz T. V. p. 403.), qui hanc exhibet verbi definitionem: ἐνθύμημά ἐστι συνεστραμμένος συλλογισμὸς ἀτελὴς καθ' ἓν ἀξίωμα· ἕτεροι δέ φασιν, ὡς ἐνθύμημά ἐστι τοῦ προηγουμένου ἐπιχειρήματος συμπέρασμα. ἐν δὲ τῷ ἐνθυμήματι οὐ πάντα τὰ λήμματα τῆς ἐπιφορᾶς εἰπεῖν ἀναγκαῖον, ἀλλ' ἢ τὰ λήμματα παραλείπομεν, ἢ τὴν

ἐπιφοράν, οὔτε μὴν τάξει χρώμεθα, ὥστε πρότερον μὲν εἶναι τὰ λήμματα, ἐπὶ πᾶσι δὲ τὴν ἐπιφοράν· ἀλλ' ὡς ἂν τύχῃ λόγον εἰσφέρομεν. Etiam alii rhetores graeci apud Walzium T. VI. p. 36. et p. 582, et T. VII. p. 762. enthymema conclusionem imperfectam esse docent, eamque e locis viginti et uno repeti volunt cf. VII. p. 762 et V. p. 403. Minucianus cum his fere consentiens congruentem etiam nominis affert originationem. Hic enim (apud Walz T. IX. p. 604.) τὰ ἐνθυμήματα, inquit, ὠνόμασται ἢ ὅτι ὁ ῥήτωρ αὐτὸς αὐτὰ εὕρηκε καὶ ἐνθυμεῖται, ἢ ὅτι προσενθυμεῖσθαι τοῖς δικασταῖς εἴ τι ἐλλείποι καταλείπει. ἔχουσι δὲ ἐλλείμματα οἱ ῥητορικοὶ συλλογισμοὶ καὶ ταύτῃ διαφέρουσι τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ συλλογισμῶν, ὅτι οἱ μὲν τὰ συμπεράσματα ἐπάγουσιν, οἱ δὲ τὸ συμπεραινόμενον ἐκ τῶν προτάσεων καὶ κατασκευῶν τῷ δικαστῇ προσενθυμηθῆναι καταλείπουσιν. Aliam vero enthymematis explicationem apud Ciceronem reperimus et Quintilianum. Ille enim in Top. c. 13. §. 55. haec: „Ex hoc illa rhetorum sunt ex contrariis conclusa, quae „ipsi enthymemata appellant, non quin omnis sententia proprio no„mine enthymema dicatur, sed, ut Homerus propter excellentiam commune „poetarum nomen apud Graecos efficit suum; sic cum omnis sententia en„thymema dicatur, quia videtur ea, quae ex contrariis conficitur, acutis„sima, sola proprie nomen commune possedit"; idemque c. 14. „Hoc dis„serendi genus — philosophorum magis est, quibus est cum oratoribus illa „ex repugnantibus sententiis communis conclusio, quae a dialecticis tertius „modus, a rhetoribus ἐνθύμημα nuncupatur." Et apud Quintilianum V, 14, 2. „Ex pugnantibus vero, quod etiam solum enthymema qui„dam vocant, fortior multo probatio. Tale est illud Ciceronis pro Mi„lone: Eius igitur mortis sedetis ultores, cuius vitam si putetis per vos „restitui posse, nolitis." Tertia denique superest enthymematis notatio eaque extat apud Apsinem apud Walz T. IX. p. 522., qui a paradigmate sive inductione differre dicit enthymema, itaque omnem argumentationem vocari, quae repetatur ἢ ἀπὸ τοῦ ἐλάττονος ἢ ἀπὸ τοῦ παρακειμένου, ἢ ἀπὸ τοῦ ἐναντίου, ἢ ἀπὸ τοῦ μείζονος, ἢ κατὰ ἐναντίωσιν κρίσεως ἐνδόξου, ἢ συλλογιστικῶς, ἢ ἐκ διλημμάτου, ὅταν δύο τὰ ἐναντία θεὶς ἐξ ἀμφοῖν ἕλῃς, ἢ ἀπὸ τῆς οὐσίας, ἢ ἀπὸ τῶν ἀποβάσεων τῶν ἐνδεχομένων, ἢ κατὰ πρόσληψιν, ἢ ἐκ τοῦ ἐλλειφθέντος, ἢ ἐξ ἀκολούθου συλλογιστικῶς, ἢ ἐκ μάχης. Ex his tribus definitionibus quamnam secutus sit Theophrastus, quum eius libri nullum supersit fragmentum, non videtur nisi ex Aristotele esse iudicandum, cuius quidem verba, quoniam fraudem fecerunt et Vossio, de quo

supra est dictum, et Facciolato, qui in prima acroasium dialect. censuit, en-
thymemate rem leviter concludi, quae notio in enthymemate omnino
non inest, cum sedulitate sunt consideranda ac perpendenda. Ille au-
tem rhet. libro I. cap. 1, 3. artium scriptores conqueritur gravissimam
omisisse partem, quippe qui nihil περὶ ἐνθυμημάτων, ἅπερ ἐστὶ σῶμα τῆς
πίστεως dixerint, et §. 9. e probationibus artificialibus, quae ex ingenio de-
promantur et arte conficiantur, docet fieri oratorem enthymematicum (quae
laus apud Graecos fuit maxima cf. Arist. I, 2, 11.). Idem §. 11. probationem
esse demonstrationem (ἀπόδειξιν) praecipit, probationem vero rhetoricam esse
ἐνθύμημα, quod ad fidem faciendam plurimum conferat, enthymema autem esse
syllogismum, differre tamen aliquantisper a logicis syllogismis; logicos enim
syllogismos in rebus niti debere veris, rhetoricos vero, sive enthymemata (cf.
c. 2. §. 8.), aeque repeti posse e rebus veris, atque ex iis rebus, quae plerum-
que ita sint, sed etiam aliter evenire possint, itaque has conclusiones, quae
enthymemata appellentur, non semper esse veras; praeterea, quum
enthymemata saepe repetantur e rebus, de quibus inter homines constet, non-
nunquam sine perspicuitatis detrimento vel propositionem in iis, vel ad-
sumtionem, vel etiam conclusionem posse omitti, eamque ob causam in
enthymemate argumentationis formam haud raro esse imperfectam et man-
cam. Apparet igitur, unum Apsinem Aristotelis vestigiis in enthy-
memate definiendo institisse, ceteros singulas ex eius disputatione par-
tes arripuisse et in iis haesitasse. Theophrastum autem, qui et Aristo-
telem audivisset, et eius de eadem re scripta manu tereret, (reliquit autem
Stagirites teste Laertio V, 24. et ἐνθυμήματα ῥητορικά et ἐνθυμημάτων διαι-
ρέσεις) hunc igitur non credibile est, praeceptorem secus intellexisse,
etsi coniecerim, quod Cicero, qui in Topicis unum se sequi fatetur Aristo-
telem, conclusionem quae e contrariis fiat sententiis, maxime laudat, eique
tanquam primariae hoc vult proprium nomen vindicare, et Aristotelem ac
fortasse etiam Theophrastum in suis de enthymematis libris hanc conclusio-
nem ceteris omnibus praetulisse.

9) Pone ἐνθυμημάτων librum §. 47. Diogenes εὑρημάτων ά, β' nominat,
cuius ego libri nullam hic iniecissem mentionem, nisi Spengelius art. script.
p. 4. in rhetoricis eum numerasset. Huius vero opinio facili negotio refelli
potest. Primum enim Graeci, si de inventione praecipiebant, εὕρεσιν eam
appellabant, non εὑρήματα. Deinde vero de aliarum rerum artificiorumve
inventione hunc Theophrasti librum egisse, aliunde scimus. Nam Clemens

Alexandr. Strom. I, 361. postquam de navigationis, auspiciorum, geome-
triae, sambucarum, tibiarum aliarumque rerum inventione exposuit, haec
adiicit: ἐπί τε Σεμιράμεως βασιλίδος Ἀσσυρίων τὰ βύσσινα ἱμάτια εὑρῆσθαι ἱστο-
ροῦσι καὶ πρώτην ἐπιστολὰς συντάξαι Ἀτόσσαν, τὴν Περσῶν βασιλεύσασάν φησιν
Ἑλλάνικος, Σκάμμων μὲν οὖν, ὁ Μιτυληναῖος, (cuius liber περὶ εὑρημάτων ab
Athenaeo XIV, 36 A. et a Suid. s. v. Φοινικήϊα γράμματα citatur) καὶ Θεό-
φραστος ὁ Ἐρέσιος, Κύδιππός τε ὁ Μαντινεὺς, ἔτι τε Ἀντιφάνης, καὶ Ἀριστό-
δημος, καὶ Ἀριστοτέλης, πρὸς τούτοις δὲ Φιλοστέφανος, ἀλλὰ καὶ Στράτων ὁ Περι-
πατητικὸς ἐν τοῖς περὶ εὑρημάτων ταῦτα ἱστόρησαν. Eadem e Clemente tran-
scripsit Eusebius in Praep. Evang. X, 6. Praeterea Pindari scholiastes ad
Olymp. XIII. 27. ed. Boekh. hunc his verbis citat librum: Θεόφραστος ἐν
τῷ περὶ εὑρημάτων Ὑπέρβιον τὸν Κορίνθιόν φησιν εὑρηκέναι τὴν τοῦ κεραμι-
κοῦ τροχοῦ μηχανήν, et scholiast. Hom. ad Iliad. ά, 449. Ὥς φησι Θεόφραστος
ἐν τῷ περὶ εὑρημάτων πρὶν ἢ μάθωσιν οἱ ἄνθρωποι ἀλεῖν τὸν Δημητριακὸν
καρπὸν, οὕτω σώας αὐτὰς ἤσθιον. Alia nonnulla, quae huc pertinent, habet
Meursius in libello, qui Theophrastus inscribitur, Nr. CXXXII. Ephorus
etiam librum, qui εὑρήματα inscriptus erat, edidit, cuius fragmenta, quae
videsis apud Marxium p. 261, id, quod de huius verbi significatione diximus,
confirmant. — Neque magis rhetoricis libris cum Spengelio l. c. eum adscri-
pserim, quem Diogen. §. 48. συμβουλῆς ά titulo refert. Quo in libro putavit
Spengelius, si recte eum intelligo, γένος συμβουλευτικόν sive, ut Hermoge-
nes loquitur, τὴν συμβουλευτικὴν ἰδέαν, fuisse explanatum, quod quamvis
propterea possit videri probabile, quod Theophrastus etiam de iudiciali ge-
nere librum conscripsit, tamen propter συμβουλῆς vocis usum a vero mihi
videtur abhorrere. Quid enim, quum omnes hoc dicendi genus vocarent
τὸ συμβουλευτικόν, Theophrasto causae fuisse putamus, ut ab hoc usu de-
sisceret, qui in genere iudiciali usitatum δικανικόν adhibuerit? Deinde
vero quid impedit, que minus auctorem in hoc libro de consilio dando peten-
dove egisse credamus?

10) Tandem deducti sumus ad librum περὶ λέξεως a Dionysio §. 47. ci-
tatum, qui maximam videtur apud veteres habuisse famam, cuiusque plu-
rima extant fragmenta. Itaque fusius atque uberius de hoc libro exponere li-
ceat, quam de ceteris Theophrasti rhetoricis libris. Contigit autem, ut Sim-
plicius, quum doceret, quae categoriae essent verborum, et quomodo eae
differrent a grammaticorum atque rhetorum rationibus, etiam illud expli-
care vellet, ad quas potissimum res rhetores in elocutione animum adver-

5

terent, ob eamque causam summatim, de quibus rebus ille Theophrasti liber ageret, referret. In scholiis igitur ad Aristot. categ. (Bas. 1551. p. 3.) haec ille scribit: *καθὸ μὲν γὰρ λέξεις, (αἱ φωναί) ἄλλας (ἡ αἱ τοῦ Ἀριστοτέλους κατηγορίαι) ἔχουσι πραγματείας, ὡς ἐν τῷ περὶ τοῦ λόγου στοιχείων* (ita enim cum Meursio in Theophrasto Nr. CCXXIV. est scribendum, non *στοιχείῳ*, quod habet exemplar Basil.) *ὅ τε Θεόφραστος ἀνακινεῖ, καὶ οἱ περὶ αὐτὸν γεγραφότες· οἷον πότερον ὄνομα καὶ ῥῆμα τοῦ λόγου στοιχεῖα, ἢ καὶ ἄρθρα, καὶ σύνδεσμοι, καὶ ἄλλα τινά· λέξεως δὲ καὶ ταῦτα μέρη· λόγου δὲ ὄνομα καὶ ῥῆμα· καὶ τίς ἡ κυρία λέξις, τίς δὲ ἡ μεταφορική. καὶ τίνα τὰ πάθη αὐτῆς· οἷον τί ἀποκοπή, τί συγκοπή, τί ἀφαίρεσις· τίνες αἱ ἁπλαῖ, τίνες αἱ σύνθετοι, τίνες αἱ ὑποσύνθετοι, καὶ ὅσα τοιαῦτα, καὶ ὅσα περὶ ἰδεῶν εἴρηται· τί τὸ σαφὲς ἐν ταῖς λέξεσι, τί τὸ μεγαλοπρεπὲς, τί τὸ ἡδὺ καὶ πιθανόν.* Itaque illo in libro Theophr. exordiens a substantivi, verbi, coniunctionum et articulorum definitionibus, tot autem partes orationis acceperat ab Aristotele (cf. de arte poet. c. 20., et Rud. Schmidt de gramm. Stoic. p. 7. et Geppert Darstell. d. grammat. Kategorien p. 16. et Classen de gramm. gr. primord. p. 60.) disseruit de propria et translata oratione, et de iis, quae verbis acciderent per apocopen, syncopen, et aphaeresin, et quaenam voces essent simplices, quae compositae et decompositae, denique de orationis generibus, quid esset perspicuum, quid grave, quid dulce, quid fidem faceret. Neque tamen putaverim, in his se finibus continuisse hunc Theophrasti librum, sed is videtur omnia ista, de quibus Aristoteles in tertio rhetoricorum libro exposuit, esse complexus. Sed priusquam hoc demonstremus, primum hoc est asseverandum, illum, quem Simplicius hoc titulo *περὶ τοῦ λόγου στοιχείων* nuncupet, librum non esse alium, atque quem Diogenes aliique *περὶ λέξεως* nominent, praesertim quum Meursius in Theophrasto diversos hos fuisse libros opinetur. Primum enim in librorum titulis saepe aliquantisper variatur, et *λόγος* et *λέξις* in vulgus inter se commutantur, quanquam philosophi, maxime Stoici, haec discriminaverunt. (cf. Rudolph Schmidt de gramm. Stoic. p. 20 sq.) Deinde *στοιχεῖα* apud Simplicium non singulas significare litteras, quae apud Aristotelem reperitur alias notatio, cf. de arte poet. c. 20., sed elementa, sive partes primarias atque gravissimas, ipse Simplicius libri argumento ante oculos posito testatur. Item *στοιχεῖα* geometrarum a Philopono vocantur *γραμμαὶ, σημεῖα, ἐπίποδα, γωνίαι, κύκλοι*, et apud Aristot. rhet. II, 22, 13. legimus *τὰ στοιχεῖα τῶν ἐνθυμημάτων λέγωμεν, στοιχεῖον δὲ λέγω καὶ τόπον ἐνθυμήματος τὸ αὐτό*, et apud Isocratem ad Nicoclem ed. Bekk. p. 19. l. 16. *ταῦτα στοιχεῖα πρῶτα καὶ μέγι-*

στα χρηστῆς πολιτείας ἐστίν. Atque etiam Cicero elementa loquendi in Acad. II, 24. §. 92. et elementa dicendi in II. de or. c. 11., quanquam alias a Romanis singulae litterae vocantur elementa, de orationis inventione atque de eius ornamentis intellexit. Iam quum haec orationis ornamenta liber Theophrasti *περὶ λέξεως* comprehenderit, id quod quae supersunt fragmenta testantur, similia vero liber *περί λόγου στοιχείων*, quem nominat Simplicius, continuerit, neque praeter Simplicium quisquam hunc librum noverit, non potest esse dubium, quin unus hic sit liber, cuius quaecunque huc pertinere videbuntur aut fragmenta, aut testimonia, singula nunc in animo est percensere.

I. Atque certa et indubitata huius libri fragmenta duo habemus, a Dionysio Halicarnassensi servata, quorum alterum legimus de compositione XVI. § 120. *φημὶ τὸν βουλόμενον ἐργάσασθαι λέξιν καλὴν ἐν τῷ συντιθέναι τὰς φωνὰς, ὅσα καλλιλογίαν καὶ μεγαλοπρέπειαν, ἢ σεμνότητα περιείληφεν ὀνόματα, εἰς τοῦτο συνάγειν. Εἴρηται δέ τινα περὶ τούτων καὶ Θεοφράστῳ τῷ φιλοσόφῳ κοινότερον ἐν τοῖς περὶ λέξεως, ἔνθα ὁρίζει, τίνα ὀνόματα φύσει καλὰ, παραδείγματος ἕνεκα, ὧν συντιθεμένων καλὴν οἴεται καὶ μεγαλοπρεπῆ γενήσεσθαι τὴν φράσιν, καὶ αὖθις ἕτερα μικρὰ καὶ ταπεινὰ, ἐξ ὧν οὔτε ποίημα χρηστὸν ἔσεσθαί φησιν, οὔτε λόγον. Καὶ μὰ Δία οὐκ ἀπὸ σκοποῦ ταῦτα τῷ ἀνδρὶ εἴρηται.* Eundem igitur librum ante oculos habuit Demetrius, qui *περὶ ἑρμηνείας*, §. 173—175. (Walz T. IX. p. 78.) *ποιεῖ*, inquit, *εὔχαριν τὴν ἑρμηνείαν καὶ τὰ λεγόμενα καλὰ ὀνόματα. ὡρίσατο δ᾽ αὐτὰ Θεόφραστος οὕτως. κάλλος ὀνόματός ἐστι τὸ πρὸς τὴν ἀκοὴν ἢ πρὸς τὴν ὄψιν ἡδὺ, ἢ τὸ τῇ διανοίᾳ ἔντιμον. Πρὸς μὲν τὴν ὄψιν ἡδέα τὰ τοιαῦτα ῥοδόχροον, ἀνθοφόρου χρόας. ὅσα γὰρ ὁρᾶται ἡδέως, ταῦτα καὶ λεγόμενα καλά ἐστι. πρὸς δὲ τὴν ἀκοὴν Καλλίστρατος Ἀννοῶν. ἥ τε γὰρ τῶν λάμβδα σύγκρουσις ἠχῶδές τι ἔχει καὶ ἡ τῶν νῦ γραμμάτων. Καὶ ὅλως τὸ νῦ δι᾽ εὐφημίαν ἐφέλκονται οἱ Ἀττικοὶ, Δημοσθένην λέγοντες καὶ Σωκράτην. τῇ διανοίᾳ δὲ ἔντιμα τὰ τοιαῦτά ἐστιν, οἷον τὸ ἀρχαῖοι ἀντὶ τοῦ παλαιοὶ ἐντιμότερον· οἱ γὰρ ἀρχαῖοι ἄνδρες ἐντιμότεροι.* In his, quae ab initio typorum forma distinguenda curavimus, patet ipsius Theophrasti verba inesse; quae subsequuntur, quamvis Demetrii potius, quam Theophrasti videantur esse, faciunt tamen ad Theophrasti explicandam sententiam, simulque docent, Theophrasto praeceptoris sui verba ante oculos obversata fuisse; Aristoteles enim in rhet. libro III. c. 2. §. 13. metaphoras peti iussit *ἀπὸ καλῶν ἢ τῇ φωνῇ, ἢ τῇ δυνάμει, ἢ τῇ ὄψει, ἢ ἄλλῃ τινὶ αἰσθήσει*; nam quod Aristoteles *δυνάμει* dixit, id ille *διανοίᾳ* voce magis perspicuum voluit reddere,

quae vero Stagirita solis de metaphoris dixerat, ea ille amplificavit et ad
unum quodvis verbum totamque orationem transtulit. Ceterum quum
Aristoteles addat: *διαφέρει δ' εἰπεῖν, οἷον ῥοδοδάκτυλος ἠὼς μᾶλλον, ἢ φοινικο-*
δάκτυλος ἢ ἔτι φαυλότερον ἐρυθροδάκτυλος, atque Demetrius, qui Theophrasti
praecepta se secutum esse confitetur, itidem rosei coloris afferat exem-
plum, credere possis, quoniam artium magistri eadem alter ab altero ex-
empla mutuari solebant, Theophrastum quoque praeceptoris vestigia pre-
mentem rosae exemplum, quod deinceps ad Demetrium transierit, usurpa-
visse. Denique hoc quoque fragmentum magno est documento, Simplicium
τῷ περὶ λόγου στοιχείῳ intelligere *τὰ περὶ λέξεως.* Etenim ille narrat, in illo
libro *περὶ ἰδεῶν τῆς λέξεως,* de oratione perspicua, **m a g n i f i c a**, suavi, pro-
babili, expositum fuisse, et Dionysius docet, in eo elementa pulchrae et
m a g n i f i c a e orationis fuisse tradita.

II. Alterum libri *περὶ λέξεως* fragmentum extat apud Dion. Sylb. T. II. p. 86. *Θαυμάζειν ἄξιον, τί δήποτε παθὼν ὁ Θεόφραστος τῶν φορτικῶν καὶ περιέργων αὐτὸν (Λυσίαν) οἴεται ζηλωτὴν γενέσθαι λόγων καὶ τὸ ποιητικὸν διώκειν μᾶλλον ἢ τὸ ἀληθινόν. ἐν γοῦν τοῖς περὶ λέξεως γραφεῖσι τῶν τε ἄλλων καταμέμφεται τῶν περὶ τὰς ἀντιθέσεις, καὶ παρισώσεις, καὶ παρομοιώσεις, καὶ τὰ παραπλήσια τούτοις σχήματα διεσπουδακότων, καὶ δὴ καὶ τὸν Λυσίαν ἐν τούτοις καταριθμεῖ καὶ τὸν ὑπὲρ Νικίου τοῦ στρατηγοῦ τῶν Ἀθηναίων λόγον, ὃν εἶπεν ἐπὶ Συρακουσίων αἰχμαλωτὸς ὤν, ὡς ὑπὸ τούτου γεγραμμένον τοῦ ῥήτορος παρατιθείς. κωλύσει δ' οὐδὲν ἴσως καὶ τὴν λέξιν αὐτὴν θεῖναι τοῦ Θεοφράστου. ἔστι δὲ ἥδε*

„ἀντίθεσις δ' ἐστὶ τριττῶς, ὅταν τῷ αὐτῷ τὰ ἐναντία, ἢ τῷ ἐναντίῳ τὰ „αὐτά, ἢ τοῖς ἐναντίοις ἐναντία προκατηγορηθείη. τοσαυταχῶς γὰρ ἐγχωρεῖ „συζευχθῆναι. τούτων δὲ τὸ μὲν ἴσον καὶ τὸ ὅμοιον παιδιῶδες, καθαπερεὶ ποί„ημα. διὸ καὶ ἧττον ἁρμόττει τῇ σπουδῇ. φαίνεται γὰρ ἀπρεπὲς, σπουδά„ζοντα τοῖς ὀνόμασι παίζειν, καὶ τὸ πάθος τῇ λέξει περιαιρεῖν. ἐκλύει γὰρ τὸν „ἀκροατήν. οἷον ὡς ὁ Λυσίας ἐν τῇ τοῦ Νικίου ἀπολογίᾳ βουλόμενος ἔλεον „ποιεῖν:"

„κλαίω τὸν ἀμάχητον καὶ ἀναμάχητον ὄλεθρον. ἱκεταὶ μὲν αὐτοὶ τῶν θεῶν „καθίζοντες, προδότας δὲ τῶν ὅρκων ἡμᾶς ἀποφαίνοντες, ἀνακαλοῦντες συγ„γένειαν, εὐμένειαν."

Dionysius vero in iis, quae deinceps disserit, quae apud ipsum videnda sunt, negat, Lysiae, quem in deliciis habet, illam orationem esse. At Spengel. in art. scr. p. 139. hoc Dion. refellit iudicium, et Theophrasti vindicat

cat in ea re auctoritatem. Exposuit autem, uti hoc fragmentum docet, Theophrastus in illo libro de nimio orationis ornatu, qui proficisceretur ex antithesibus, eoque quam facile orationis vis infringeretur, Lysiae comprobavit exemplo. Qua ex re primum illud apparet, Theophrastum cum alias, in hoc libro ita vestigiis Stagiritae institisse, ut exemplis ex aliis scriptoribus petitis praecepta ac sententias suas explanaret, deinde vero hoc elucet, minus honorificum eius de Lysia fuisse iudicium. Quo magis ego inducor, ut etiam duobus aliis in locis, in quibus Theophrastus et de magnifica praecipit oratione, et Thrasymachum laudibus effert, de Lysiaque detrahit, Dionysium ad hunc *περὶ λέξεως* librum putem respexisse.

III. Dionysius enim in iudicio de Lysia T. II. p. 83, 29. Sylb. magnam dicit esse orationis (*λέξεως*) virtutem, quae contrahat sententias, easque suaviter et rotunde efferat, necessariam illam ac maxime propriam iudiciis et veris causis, in qua, auctore Theophrasto, princeps extiterit Thrasymachus, ut ipse autumet, Lysias. Verba autem eius haec sunt: *μετὰ ταύτας ἀρετὴν εὑρίσκω παρὰ Λυσίᾳ πάνυ θαυμαστὴν, ἧς Θεόφραστος μέν φησιν ἄρξαι Θρασύμαχον, ἐγὼ δὲ Λυσίαν ἡγοῦμαι --- τίς δ' ἐστὶν, ἥν φημι ἀρετήν; ἡ συστρέφουσα τὰ νοήματα καὶ στρογγύλως ἐκφέρουσα λέξις, οἰκεία πάνυ καὶ ἀναγκαία τοῖς δικανικοῖς λόγοις καὶ παντὶ ἀληθεῖ ἀγῶνι.* Spengelius art. scr. p. 94., recte censet Dionysium in his quoque iudiciis nimio Lysiae amore occaecatum, et temporum etiam rationibus aliquantisper deceptum, debitam Thrasymacho laudem ad hunc suum oratorem transtulisse maioremque Theophrasti debere videri auctoritatem.

IV. His addendum duco quartum Dionysii locum. Is enim de vi Demosthenis p. 165. 3. Sylb. disputans tria esse dicit genera dicendi, primum grave quoddam ac contortum, sententiis verborumque luminibus stipatum, quale Gorgias ac Thucydides secuti sint, alterum subtile, laevigatum, ad delectandos animos ac decipiendos comparatum, quale Lysiae evaserit, esse denique tertium quoddam, excultum illud quidem inter oratores ab Isocrate, a Platone inter philosophos, unice perfectum tamen atque absolutum a Demosthene. Illud autem summum ac gravissimum genus Theophrastus itidem a Thrasymacho censuit primum esse adornatum et aliquatenus promotum ac perfectum. Haec autem sunt Dionysii verba: *τρίτη λέξεως ἦν ἡ μικτή τε καὶ σύνθετος ἐκ τούτων δυεῖν, ἣν ὁ μὲν πρῶτος ἁρμοσάμενος καὶ κατασκευάσας εἰς τὸν νῦν ὑπάρχοντα κόσμον εἴτε Θρασύμαχος ὁ Χαλκηδόνιος ἦν, ὡς οἴεται Θεόφραστος, εἴτε ἄλλος τις, οὐκ ἔχω λέγειν.*

V. Iam quum de locis, in quibus Theophrastus de magnifica oratione praecepit, duos certo sciamus e libro eius *περὶ λέξεως* esse petitos, duos alios eodem ex fonte fluxisse ut nobis persuadeamus, gravibus inducamur argumentis, hoc iure nostro nobis sumere videmur, etiam in ceteris locis, in quibus ille de magnifica oratione exposuisse dicatur, a scriptoribus eiusdem libri rationem esse habitam. Huc igitur pertinent, quae idem Dionysius habet apud Sylb. T. II. p. 95. *καθόλου τριῶν ὄντων, ὥς φησι Θεόφραστος, ἐξ ὧν γίνεται τὸ μέγα, καὶ σεμνὸν, καὶ περιττὸν ἐν λέξει, τῆς τε ἐκλογῆς τῶν ὀνομάτων, καὶ τῆς ἐκ τούτων ἁρμονίας, καὶ τῶν περιλαμβανόντων αὐτὰ σχημάτων.* Quae si e libro *περὶ λέξεως*, ut videtur, sunt arcessita, Theophrastus in eo praeter illa, quae Simplicius indicat, non solum de delectu verborum exposuit, id quod satis superque iam fragmento I. est patefactum et demonstratum, verum etiam quomodo vocabula essent coniungenda, ut neque asperos haberent concursus, neque disiunctos atque hiantes, neve ambitus eorum longiori anfractu esset circumscriptus, sed ad spiritum vocis aptus, quaeque ad orationem illustrandam figurae maxime essent idoneae, de quibus peculiarem ille libellum conscripsit *περὶ λόγων ἀνηγμένων εἰς σχήματα*, quo de p. 23. sermo fuit.

VI. Ad magnificam orationem pertinet etiam illud fragmentum, quod Demetrius *περὶ ἑρμ.* c. 41. habet. Hic ad magnificam orationem, de qua ex professo exponit illo loco, paeonem contendit esse aptissimum, et si membra utrinque includi non possint paeonibus, orationem tamen vult paeonibus similem esse, ita quidem ut a longis incipiatur syllabis, et desinatur in longas; haec omnia praecipere Aristotelem, qui vel duplices paeones admiserit; his vero illa addit Demetrius: *διόπερ Θεόφραστος ἐκτέθειται μεγαλοπρεπείας τὸ τοιοῦτον κῶλον· τῶν μὲν περὶ τὰ μηδενὸς ἄξια φιλοσοφούντων*, quibus adiungit: *οὐ γὰρ ἐκ παιώνων ἀκριβῶς ἀλλὰ παιωνικόν τί ἐστιν.*

VII. Idem Demetrius c. CXIV. in ea libelli parte, in qua sermo est *περὶ ψυχροῦ τοῦ ἀντικειμένου τῷ μεγαλοπρεπεῖ*, hoc Theophrasti fragmentum servavit: *πρῶτα δὲ περὶ τοῦ γειτνιῶντος τῷ μεγαλοπρεπεῖ λέξομεν. ὄνομα μὲν αὐτῷ ψυχρὸν· ὁρίζεται δὲ τὸ ψυχρὸν Θεόφραστος οὕτω· ψυχρόν ἐστι τὸ ὑπερβάλλον τὴν οἰκείαν ἀπαγγελίαν· οἷον*

Ἀπυνδάκωτος οὐ τραπεζοῦται κύλιξ,

ἀντὶ τοῦ, ἀπύθμενος ἐπὶ τραπέζης κύλιξ οὐ τίθεται. τὸ γὰρ πρᾶγμα μικρὸν ὂν οὐ δέχεται ὄγκον τοσοῦτον λέξεως. De frigida oratione quae Arist. in rhet. III, 3. disseruit, ea Demetr. in disputatione sua ante oculos habuit; definitionem tamen, quam Aristoteles praetermisit, uti ipse indicat, a Theophrasto mutuatus est. Illud vero in incerto est relinquendum, utrum etiam exemplum Sophocleum, ille enim versus e Sophoclis Triptolemo est, Theophrastus, an Demetrius addiderit, cetera verba Demetrii videntur esse.

VIII. Praeterea Simplicius refert (cf. supra p. 38.), in libro *περὶ λέξεως* disputatum fuisse de rebus iis, quae oratori fidem afferrent. Quare est quod eodem e libro desumptum putemus fragmentum, quod idem Demetr. servavit §. 222. *Ἐν τούτοις τε οὖν τὸ πιθανὸν καὶ ἐν ᾧ Θεόφρ. φησιν „ὅτι οὐ πάντα ἐπ' ἀκριβείας δεῖ μακρηγορεῖν, ἀλλ' ἔνια καταλιπεῖν καὶ τῷ ἀκροατῇ συνιέναι καὶ λογίζεσθαι ἐξ ἑαυτοῦ· συνιεὶς γὰρ τὸ ἐλλειφθὲν ὑπὸ σοῦ οὐκ ἀκροατὴς μόνον, ἀλλὰ καὶ μάρτυς σου γίνεται καὶ ἅμα εὐμενέστερος· συνετὸς γὰρ ἑαυτῷ δοκεῖ διὰ σὲ τὴν ἀφορμὴν παρεσχηκότα αὐτῷ τοῦ συνιέναι. τὸ δὲ πάντα ὡς ἀνοήτῳ λέγειν καταγινώσκοντι ἔοικε τοῦ ἀκροατοῦ.“* Quae quidem sententia non magis vera, quam omnibus rationibus ex intima animorum indole repetitis confirmata est. Videntur autem haec Vossio ante oculos fuisse, quum scriberet *in institut. or.* VI, 5, 3.: „Neque singula referenda explanandaque, tanquam auditores nacti essemus bardos bliteosque, sed quaedam eorum sunt relinquenda acumini, ut cognoscentes, quantum ipsorum ingenio ac iudicio tribuamus, magis concilientur nobis.“

IX. Ad fidem faciendam plurimum confert etiam, ut Dionysii Halic. de Lysiae iudic. p. 482 verbis utar, *τὸ τοῖς ὑποκειμένοις προσώποις καὶ πράγμασι τοὺς πρέποντας ἐφαρμόττειν λόγους.* Talis oratio, moribus personarnm rebusque accommodata, quae non arte facta, sed ex animo profecta videbatur, qualis esse solet precantium, mirantium, miserantium, exsecrantium, vocabatur *λόγος ἐνδιάθετος*, quem Hermogenes apud Walz. T. III. p. 336. per *ἔμψυχος, ἀληθινός* explicat. De hoc dicendi genere copiose disseruit Theophrastus, uti e Syriani proleg. in status apud Walz T. VII. p. 5. apparet. Apud hunc enim haec legimus: *τὸν μὲν ἐνδιάθετον λόγον ἄλλοι τε κοσμοῦσι καὶ Λολλιανὸς καὶ Θεόφραστος.*

X. In fragmento II. vidimus Theophrastum nimium figurarum orationis usum improbavisse; eumque locum testabatur Dionysius Halicarnassensis e libro *περὶ λέξεως* esse repetitum. E quo libro etiam alia, quae eodem spectant, praecepta veri est simillimum fluxisse, in quibus illud numerandum esse censeo, quod apud Ciceronem extat in epist. ad fam. XVI, 17. qui reprehendit, quod Tiro scripserat valetudini fideliter inserviendo: „sit quomodo Theophrasto placet, verecunda tralatio,“ cui praecepto alterum est coniunctissimum, quod servavit Longinus de sublim.

XXXII, 3. apud quem haec legis: *ὁ μὲν Ἀριστοτέλης καὶ ὁ Θεόφραστος μειλίγματά φασί τινα τῶν θρασεῶν εἶναι μεταφορῶν τὰ „ὡσπερεὶ φάναι“ καὶ „οἱονεί“ καὶ „εἰ χρὴ τοῦτον εἰπεῖν τὸν τρόπον“ καὶ „εἰ δεῖ παρακινδυνευτικώτερον λέξαι.“ Ἡ γὰρ ὑποτίμησις, φασίν, ἰᾶται τὰ τολμηρά.* Haec duo praecepta inter se cohaerere, inde apparet, quod Cicero eadem deinceps posuit, quem puto (de orat. III. cap. 41. §. 165.) ante oculos habuisse Theophrastum illo in loco: „Atque etiam, si vereare, ne paullo durior translatio esse „videatur, mollienda est praeposito saepe verbo: ut si olim M. Catone „mortuo pupillum senatum quis relictum diceret, paullo durius; sin, ut „ita dicam, pupillum, aliquanto mitius. Etenim verecunda debet esse „translatio, ut deducta in alienum locum, non irruisse, atque ut preca„rio, non vi, venisse videatur.“

XII. Atque haec duo fragmenta, de quibus modo diximus, sumta possint videri ex eo loco, in quo de dulcedine orationis praeceptum erat; quique Tullio obversabatur in oratore c. 24. §. 79. haec scribenti: „Unum aberit“ (ab oratore tenui, subtili, quem nonnulli solum, quanquam perperam, vocabant Atticum) „quod quartum numerat Theophrastus in ora„tionis laudibus, ornatum illud, suave et affluens.“ Ita enim ex optimis codicibus veteribusque exemplaribus restituit Göllerus, pro aderit. Iam ille ornatus, illa suavitas et affluentia quibus in rebus constiterit, si quaeris, istis verbis apparet non eam copiam oratoris significari, quae propria sit gravis oratoris, ampli, copiosi, in quo vis est maxima, quemque Cicero cum alias, tum in oratore c. 28. descripsit, sed eas esse intelligendas virtutes, quibus insignes fuerunt ii, qui medium, quod dicitur, genus dicendi secuti sunt, quod Cicero itidem c. 27. §. 91. his verbis delineavit: „Hoc in genere medio nervorum vel minimum, suavitatis au„tem est vel plurimum. Est enim plenius, quam hoc enucleatum, quum au„tem illud ornatum copiosumque summissius. Huic omnia dicendi „ornamenta conveniunt, plurimumque est in hac orationis forma sua„vitatis“ et §. 95.: „Est quoddam insigne et florens orationis, pictum „et expolitum genus, in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur „lepores. Hoc totum e sophistarum fontibus defluxit in forum, sed spretum „a subtilibus, repulsum a gravibus in ea, de qua loquor, mediocritate con„sedit,“ et c. 12. §. 42.: „Dulce orationis genus, et solutum, et affluens, „sententiis argutum, verbis sonans est in illo *ἐπιδεικτικῷ* genere, quod dixi„mus, proprium sophistarum, pompae, quam pugnae aptius, gymnasiis et

„palaestrae dicatum, spretum et pulsum foro.“ Est igitur ea orationis virtus, qua ipse Theophrastus excelluit maxime, ac sibi et nomen inter aequales, et summam apud posteros dicendi gloriam comparavit, de qua re supra p. 19. sqq. est a me expositum. Sed quoniam hanc Theophrastus quartam orationis laudem dicitur fecisse, par est relicuas, quas posuerit, elocutionis virtutes, investigare. Ad quam rem etiam Göllerus in commentariis attendit, neque tamen eam recte explicavit, qui nescio quo augurio ductus Theophrastum primam censeat posuisse virtutem sapientiam, alteram delectum verborum, tertiam compositionem, quartam denique ornatum. Qua in re quantopere fallatur, inde elucet, quod sapientia, id est *τὸ πρέπον*, non magis in rerum, quam in verborum delectu cernitur. cf. Cic. or. c. 21. At de Theophrasti sententia omnino non potest ambigi; eam enim patefecit Simplicius, qui virtutes quatuor, de quibus in Theophrasti libro disputatum fuerit, enumerat omnes *τὸ σαφές, τὸ μεγαλοπρεπές, τὸ ἡδύ, τὸ πιθανόν.* Nemo enim hoc morabitur, quod Simplicius suavitatem dicendi non loco quarto, quem propter Ciceronis auctoritatem illam tenuisse credere debemus, sed tertio posuit, quum sciamus, Simplicium tantummodo libri argumentum, non rerum ordinem voluisse indicare.

Tandem ad eos locos pervenimus, in quibus veteres scriptores, Theophrastum de orationis numeris sedulo praecepisse, enarrant. Illud autem a Theophrasto factum esse in libro *περί λέξεως*, propterea suspicari licet, quod Aristoteles etiam in tertio rhetoricorum libro, in quo egit ille de elocutione, de oratoriis numeris exposuit. Idem vero fecit Ephorus, id quod cognoscimus e Theonis progymnasmatis apud Walz T. I. p. 170., qui haec tradit: *Ὁ γοῦν Ἔφορος ἐν τῷ περὶ λέξεως δι᾽ αὐτοῦ τοῦ ἀπαγορεύοντος λόγου μὴ τῇ ἐῤῥύθμῳ χρῆσθαι διαλέκτῳ, εὐθὺς ἐν ἀρχῇ στίχον εἴρηκεν, εἰπών· „πάλιν δὲ περὶ τῆς ἐῤῥύθμου διέξειμι.“* Atque Spengelius in Zimmermanni annal. scholast. 1832. p. 1175. pro *Ἔφορος* suspicatur *Θεόφραστος* legendum esse, quae coniectura si certa esset, haberemus sane et novum Theophrasti fragmentum, certumque testimonium ab eodem in libro *περὶ λέξεως* de numerosa oratione fuisse praeceptum. Sed quanquam alias hic Ephori liber *περὶ λέξεως* non citatur, tamen quo minus hanc Spengelii coniecturam probemus, impedit auctoritas Ciceronis, qui Ephorum de orationis numeris disseruisse significat in orat. c. 57. §. 191. „Sunt“ ille inquit, „qui iambicum putent „(numerum orationi aptissimum), quod sit orationi simillimus.... Ephorus „autem levis ipse orator, sed profectus ex optima disciplina paeana

„sequitur, aut dactylum, fugit autem spondeum et trochaeum. Quod „enim paean habeat tris brevis, dactylus autem duas, brevitate et celeri- „tate syllabarum labi putat verba proclivius contraque accidere in spon- „deo et trochaeo, quod alter e longis constaret, alter e brevibus fieret, al- „teram nimis incitatam, alteram nimis tardam orationem, neutram tempe- „ratam.“ Haec profecto abunde docent, Ephorum non solum in scriptionibus certam numerorum adhibendorum secutum esse normam, sed etiam de his rebus eum quaedam conscripta habuisse, cuius rei idem Cicero in orat. c. 51. §. 172, et c. 57. §. 194 et Quintil. instit. IX, 4, 87. sunt testes. Hoc tamen ex hac Ephori comparatione boni habemus, ut intelligamus, aut omnes, aut plurimos, qui tum de elocutione libros componerent, numerorum etiam disciplinam, quaecunque illa fuit, tradidisse. Quo rectius erit statuere, idem in libro *περὶ λέξεως* a Theophrasto esse factum, quem deinceps et Cicero, et Quintilianus, et Demetrius, alii imitati sunt. Itaque brevi defungi licet refutatione Meursii, qui titulum libri *περὶ ἀριθμῶν*, quem Diogenes §. 50. servavit, in *περὶ ῥυθμῶν* mutare voluit, ut scilicet haberet, quo quae de numerosa oratione supersunt Theophrasti fragmenta, referret. Nam neque illud est diffitendum, etiam arithmetica pertractasse hunc philosophum, quem Theophylactus Simocatta in problemate physico ultimo *τὴν τῆς γνώσεως θάλατταν* vocavit, et e libro *περὶ λέξεως* emanavisse illa, sive testimonia, sive fragmenta orationis numerosae iam compertum habemus.

XIII. Diligenter autem et accurate Theophrastum de hac artis parte praecepisse confirmat Cicero, qui in orat. cap. 51. §. 172., ubi Isocratem, Ephorum, Naucratem numerosae et aptae orationis disciplinam quandam tradidisse enarravit, Aristotelem dicit, quanquam Isocrati eiusque discipulis infense adversatus sit, cum illis de numero oratorio consensisse, ac deinde ita continuat orationem: „Is igitur versum in oratione „vetat esse, numerum iubet. Eius auditor Theodectes, inprimis, ut Aristo- „teles saepe significat, politus scriptor atque artifex, hoc idem et sentit et prae- „cipit. Theophrastus vero iisdem de rebus etiam accuratius.“

XIV. Theophrastus etiam de caussa, cur oratio numeris sit vincienda, commentatus est, quod Cicero in orat. cap. 68. §. 228. docet, ubi haec habet: „Hanc igitur sive compositionem, sive perfectionem, sive numerum „vocari placet, adhibere necesse est, si ornate velis dicere, non solum, „quod ait Aristoteles et Theophrastus, ne infinite feratur, „ut flumen, oratio, quae non aut spiritu pronuntiantis, aut

„interductu librarii, sed numero coacta debet insistere, ve- „rum etiam quod multo maiorem habent apta vim, quam soluta,“ quibuscum Aristotelis verba in rhet. III. c. 8. sunt conferenda §. 1. et 2. *τὸ ἄῤῥυθμον ἀπέραντον. δεῖ δὲ πεπεράνθαι μὲν, μὴ μέτρῳ δέ – ἀηδὲς γὰρ καὶ ἄγνωστον τὸ ἄπειρον, περαίνεται δὲ ἀριθμῷ πάντα· ὁ δὲ τοῦ σχήματος τῆς λέξεως ἀριθμὸς ῥυθμός ἐστιν,* et §. 6. *δεῖ δήλην εἶναι τὴν τελευτὴν μὴ διὰ τὸν γραφέα, μηδὲ διὰ τὴν παραγραφὴν, ἀλλὰ διὰ τὸν ῥυθμόν*, quae verba, qua diligentia Cicero Aristotelem interpretando expresserit, docent; num similia habuerit Theophrastus, in incerto est relinquendum, fluminis tamen imaginem ab eo esse petitum existimo. Etiam de orat. III, 48, 186. oratio numeris non distincta, sine intervallis profluens, vocatur peremnis et cum amni praecipitante comparatur; et ibi quoque Cicero ea, quae doceat, ex Aristotele et Theophrasto (cf. §. 187.) se petiisse fatetur.

XV. Uti Theophrastus verecundum metaphorarum usum commendavit, id quod, quum exponeremus, ad fragmenta X et XI., docuimus, ita etiam in numeris voluit modum teneri, et vetuit fines excedi, id quod Cic. de orat. III, 48. §. 184. testatur his verbis. „Ego illud assentior Theophrasto, qui putat „orationem, quae quidem sit polita atque facta quodam modo, non adstricte, „sed remissius numerosam esse oportere. Etenim sicut ille suspicatur, ex „istis modis, quibus hic usitatus versus efficitur, post anapaestus, proce- „rior quidam numerus, effloruit; inde ille licentior et divitior fluxit *διθύραμ-* „*βος*, cuius membra et pedes, ut ait idem, sunt in omni locupleti oratione „diffusa.“

XVI. Qui autem praeterea loci ad Theoprasti de numerosa oratione doctrinam spectantes extant, quanquam singulos percensere in animo est, omnes fere unam maxime rem illustrant. Ac primum quidem huc referenda Ciceronis verba in orat. c. 57. §. 192.: „Aristoteles iudicat heroum numerum „grandiorem, quam desideret soluta oratio, iambum autem nimis e volgari „esse sermone. Ita neque humilem et abiectam orationem, nec nimis altam et „exaggeratam probat, plenam tamen eam volt esse gravitatis, ut eos, qui au- „dient, ad maiorem admirationem possit traducere. Trochaeum autem, qui „est eodem spatio, quo choreus, cordacem appellat, quia contractio et bre- „vitas dignitatem non habeat. Ita paeana probat, eoque ait uti omnes, sed „ipsos non sentire, cum utantur: esse autem tertium ac medium inter illos, „sed ita factos eos pedes esse, ut in singulis modus insit aut sesquiplex, aut „duplex, aut par. Itaque illi, de quibus ante dixi,“ (Ephorum autem alios-

que, qui iambum orationi accommodatum esse contendissent, antea commemoravit) „tantummodo commoditatis habuerunt rationem, nullam dig- „nitatis. Iambus enim et dactylus in versum cadunt maxime. Itaque ut „versum fugimus in oratione, sic hi sunt evitandi continuati pedes. Aliud „enim quiddam est oratio, nec quidquam inimicius, quam illa versibus. „Paeon autem minime est aptus ad versum, quo libentius eum recipit ora- „tio.“ Deinde, ubi nonnulla de Ephori errore dixit, addit: „Atque haec, „quae sunt apud Aristotelem, eadem a Theophrasto Theodecteque „de paeone dicuntur.“

XVII. Fere eadem legimus, sed paullo uberiore filo retractata apud Ciceronem de orat. III. c. 47 et 48., Aristotelis nomine aliquoties, Theophrasti semel (cf. fragm. XV.) appellato, quae quum sint simillima antecedentibus, non opus est transscribere, praeter hoc unum e §. 183.: „Pro- „batur ab eodem illo (Aristotele) maxime paeon, qui est duplex. Nam „aut a longa oritur, quam tres breves consequuntur, ut haec verba, de- „sinite, incipite, comprimite; aut a brevibus deinceps tribus, ex- „trema producta longa, sicut illa sunt, domuerant, sonipedes. At- „que illi philosopho ordiri placet a superiore paeone, posteriore finire.“ In fine autem totius illius commentationis fatetur, haec esse ab iis dicta philosophis, qui catulo maxime probentur; sunt autem illi Aristoteles et Theophrastus.

XVIII. Cic. orat. 64. §. 218. „Est quidem (paeon), ut inter omnes „constat antiquos, Aristotelem, Theophrastum, Theodectem, Epho- „rum unus aptissimus orationi vel orienti, vel mediae, putant illi etiam „cadenti, quo loco mihi videtur aptior creticus.“

XIX. Porro Quintilianus IX, 4, 87. Ciceronis insistens vestigiis haec habet: „Licet igitur paeona sequatur Ephorus, inventum a Thra- „symacho, probatum ab Aristotele, dactylumque, ut temperatiores brevi- „bus ac longis; fugiat spondeum et trochaeum, alterius tarditate, alterius „celebritate damnata; herous, qui est idem dactylus, Aristoteli amplior, „iambus humanior videatur; trochaeum ut nimis currentem damnet eique „cordacis nomen imponat, eademque dicant Theodectes ac Theo- „phrastus, similia post eos Halicarnasseus Dionysius: irrumpent etiam „ad invitos, nec semper illis heroo, aut paeone suo, quem, quia versum „raro facit, maxime laudant, uti licebit.“

Haec

Haec quatuor testimonia si accurate pensitamus et cum iis, quae Aristoteles in tertio rhetoricorum libro c. 8. de numerosa oratione praecepit, comparamus, omnium quasi fundamenta videmus esse iacta ab Aristotele, ut Theophrastus non tam nova reperisse, quam in iis, quae praeceptor tradiderat, fusius exponendis, eorum rationibus indagandis, inque illorum usu demonstrando videatur operam posuisse. Sunt tamen, quae maxime existimes e Theophrasti libro emanavisse. Cicero enim in or. cap. 52—57. qui numerosae orationis ars et ratio inventa sit, quique paullatim exculta, fusius exponit; ignotam hanc antiquitus tradit fuisse doctrinam et Herodotum eiusque aequales et superiorem aetatem caruisse numero, neque scriptores perveteres quidquam hoc de loco praecepisse. Principem autem numeri inveniendi non Isocratem, ut multi ferrent, sed Thrasymachum fuisse, ac Gorgiam etiam, quem senem Isocrates iuvenis in Thessalia audivisset, in eo genere elaboravisse, in quo neminem Isocrate scientius esse versatum. Etiam discipulos Isocratis, Naucratem et Ephorum, *in libris suis orationis* commendasse numeros, aliosque probavisse iambum, Ephorum autem praeter paeona etiam dactylum. Haec omnia Aristoteles non habet. Itaque haud scio an haec tam accurata de numeri inventione notitia hausta sit a Cicerone e libris Theophrasti, quem ipse (cf. fragm. XIII.) accuratius de numeris praecepisse fatetur. Ciceronem enim non ipsum istam de inventione atque expolitione numerorum historiam e scriptorum monumentis eruisse, sed eam sumsisse aliunde, iure concludere possumus e paucis verbis, quae eius extant in oratore cap. XII. §. 40.: „Concisus Thrasymachus minutis numeris et Gorgias, qui tamen primi traduntur arte quadam verba vinxisse etc.“ Illud autem eo magis videtur esse probabile, quod Thrasymacho, quem a Theophrasto maximi factum esse scimus, cf. fragm. III. et IV., etiam in his, quae supra attulimus, inventionis palmam tribui videmus. Etiam incusatio illa, qua non tam Isocrates, quam eius discipuli, in quibus fuit Ephorus, perstringuntur, propter simultates quasdam, quae inter Isocratem et Aristotelem eorumque discipulos intercedebant, non abhorrere videtur ab Aristotelis discipulo.

Ac quoniam e fragm. VI. videmus, Theophrastum disseruisse, qui numeri magnificam ad orationem essent accommodatissimi, neque solum paeones, sed etiam paeonum similes pedes probavisse, in ea sumus opinione, Ciceronem in oratore cap. 60. sqq., ubi multis exponit, quinam numeri ad quodque dicendi genus sint aptissimi, quique tanquam purpura inter se

miscendi, et quantum membrorum concinnitas ad numeros efficiendos conferat, plurima e libris hausisse Theophrasti, cuius etiam nomen cap. 64. et 68. (cf. fragm. XVIII et XIX.) disputationi suae interseruerit. Et quia hic pleraque, quae supersunt e Theophrasti libris rhetoricis, composui, quae omnia libri περὶ λέξεως fragmenta esse, ut mihi videtur ad liquidum perduxi, quinque etiam locos subtexere placet, qui possint videri ex eodem libro esse profecti, quanquam illud ego pro certo non affirmaverim.

XX. *Quintil.* X, 1, 27.: „Plurimum dicit oratori conferre „Theophrastus lectionem poetarum: multique eius iudicium se„quuntur, neque immerito. Namque ab his in rebus spiritus et in verbis „sublimitas et in affectibus motus omnis et in personis decor petitur." Iam quum ex argumentatione, qua illud Theophrasti praeceptum commendat Quintilianus, appareat, hanc poetarum lectionem ad elocutionem amplificandam et illuminandam plurimum facere, eamque maxime magnificae orationis, de qua Theophrastus in libro περὶ λέξεως fusius videtur praecepisse cf. fragm. I—VII., igniculos inserere, credibile sane est, hoc quoque praeceptum ex illo libro esse repetitum.

XXI. Proxime ad haec accedunt, quae habet Cicero in or. c. 12. §. 39.: „Primis ab his" (ab Herodoto et Thucydide) „ut ait Theophrastus, histo„ria commota est, ut auderet uberius, quam superiores, et ornatius dicere." In quibus verbis graecam ego mihi videor videre interpretationem; nam quamquam illud commota est a latinorum usu non plane abhorret, id quod Meyerus et Goellerus ad hunc locum exemplis quibusdam demonstrarunt, maiorem tamen illa locutio e Graecis accipit lucem, Theophr. enim sine dubio κινεῖν voce usus est, uti ante eum eadem in simili re usi erant Plato de rep. V. p. 450. ὅσον λόγον πάλιν κινεῖτε περὶ τῆς πολιτείας et Aristot. rhet. III, 1, 8. ἤρξαντο κινῆσαι τὸ πρῶτον (τὴν τέχνην τὴν ὑποκριτικὴν) οἱ ποιηταί et Sext. Empir. adv. M. p.370. ed. Fabr. Ἐμπεδοκλέα ὁ Ἀριστοτέλης φησὶ πρῶτον ῥητορικὴν κεκινηκέναι, quae Quintil. III, 1, 8. ante oculos habuit, quum scriberet: „primus post eos, quos poetae tradiderunt, movisse aliqua circa rhetoricen Empedoclis dicitur;" et Plutarch. in Solone c. 29. τῶν περὶ Θέσπιν ἀρχομένων ἤδη τὴν τραγῳδίαν κινεῖν et Athen. XIV. p. 629 C. ὅθεν ἐκινήθησαν αἱ καλούμεναι πυῤῥίχαι. Verba igitur Ciceronis hoc volunt: historia ab his scriptoribus est suscitata atque ita confirmata, ut auderet etc. Iam si quaeritur, quo iure Goellerus hunc locum e Theophrasti libro

περὶ λέξεως translatum esse opinatus sit, ipse quidem, cur ita censuerit, nullam attulit causam, etiamsi haec ad eius sententiam defendendam putarim afferri posse, primum quoties praeter hunc locum Cicero in oratore atque in libris de oratore Theophrasti auctoritate nitatur, semper ab eo librum περὶ λέξεως videri intelligi: deinde, quum eodem in libro, quemadmodum elocutio pedetentim a scriptoribus sit expolita, videatur fuisse expositum, mirum non posse videri, si ille etiam, quantopere Herodotus et Thucydides in eo genere excelluerint, quantumque eorum lectio oratori prodesse possit, paucis lineamentis adumbravit. Quanquam confitendum est, etiam aliis in libris rhetoricis vel in libro περὶ ἱστορίας, quem Diogene teste V. §. 47. Theophrastus edidit, illam sententiam locum habere potuisse.

XXII. Quintilian. III, 7, 1.: „Nunc, quia in tria genera caussas di„visi, ordinem sequar. Ac potissimum incipiam ab ea, quae constat lau„de ac vituperatione. Quod genus videtur Aristoteles atque „eum secutus Theophrastus a parte negotiali, hoc est πραγ„ματικῇ removisse, totamque ad solos auditores relegasse: et „id eius nominis, quod ab ostentatione ducitur, proprium est." Videtur autem Quintilianus ante oculos habuisse Arist. rhet. I, 3, 2.: ἀνάγκη τὸν ἀκροατὴν ἢ θεωρὸν εἶναι, ἢ κριτήν· κριτὴν δὲ ἢ τῶν γεγενημένων, ἢ τῶν μελλόντων· ἔστι δ᾽ ὁ μὲν περὶ τῶν μελλόντων κρίνων, οἷον ἐκκλησιαστής· ὁ δὲ περὶ τῶν γεγενημένων, οἷον ὁ δικαστής· ὁ δὲ περὶ τῆς δυνάμεως, οἷον ὁ θεωρός. Ὥστ᾽ ἐξ ἀνάγκης ἂν εἴη τρία γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικὸν, δικανικὸν, ἐπιδεικτικόν· συμβουλῆς δὲ τὸ μὲν προτροπή, τὸ δὲ ἀποτροπή· ἀεὶ γὰρ καὶ οἱ ἰδίᾳ συμβουλεύοντες καὶ οἱ κοινῇ δημηγοροῦντες τούτων θάτερον ποιοῦσι. δίκης δὲ τὸ μὲν κατηγορία, τὸ δὲ ἀπολογία -- ἐπιδεικτικοῦ δὲ τὸ μὲν ἔπαινος, τὸ δὲ ψόγος. et rhet. III, 12, 5. ἡ ἐπιδεικτικὴ λέξις γραφικωτάτη· τὸ γὰρ ἔργον αὐτῆς ἀνάγνωσις. Theophrasti igitur haec fuit sententia, quod indicat Quintilianus, ad negotia in re publica gerenda genus ἐπιδεικτικόν nil pertinere. Sententiae huius lineamenta videmus inesse in Aristotelis verbis, neque tamen illa ab hoc ipso pronuntiata, sed a Theophrasto exposita est, quam propterea possis arbitrari in eius περὶ λέξεως libro extitisse, utpote a cuius argumento non abhorreat.

XXIII. Summo vero iure libro περὶ λέξεως aliud fragmentum assignare possumus, quod servavit Quintilianus III, 8, 62. „Theophrastus „quam maxime remotum ab omni affectatione in deliberativo „genere voluit esse sermonem, secutus in hoc auctoritatem praece„ptoris sui, quanquam dissentire ab eo non timide solet." Etenim quem-

admodum Aristoteles rhetoricorum libro III. c. 12., quaenam cuique dicendi generi iudiciali et deliberativo et epidictico maxime conveniret elocutio edocuit, ita de eadem re non potuit non praecipere Theophrastus, et ille, quod suavitati et nitori magis in genere deliberativo maluit prospici, quam orationis nervis ac gravitati, constitisse sibi videtur, quippe qui etiam, uti supra fragm. II, X et XV. est explanatum, in metaphorarum aliorumque ornamentorum usu modum excedere vetuerit et intra elegantiae atque dulcedinis fines discipulos suos continuerit. Hoc autem adnotandum est, cum huius quoque praecepti vix lineamenta quaedam apud Aristotelem possint reperiri, suo hic Theophrastum tramite ingressum videri. Etiam illud, quod laudem continet saepe Theophrasto denegatum, velim animadvertas, eum ex Aristotele non totum pependisse, sed saepe a magistro non timide dissensisse.

XXIV. Postremo loco longius Theophrasti fragmentum commemorandum est, quod servavit Ammonius in Arist. de interpr. p. 53. (apud Brandis. in schol. Arist. t. I. p. 108 b.): *Διττῆς οὔσης τῆς τοῦ λόγου σχέσεως, καθὰ διώρισεν ὁ φιλόσοφος Θεόφραστος, τῆς τε πρὸς τοὺς ἀκροωμένους, οἷς καὶ σημαίνει τι καὶ τῆς πρὸς τὰ πράγματα, ὑπὲρ ὧν ὁ λέγων πεῖσαι προτίθεται τοὺς ἀκροωμένους, περὶ μὲν τὴν σχέσιν αὐτοῦ τὴν πρὸς τοὺς ἀκροατὰς καταγίνονται ποιητικὴ καὶ ῥητορική, διότι ἔργον αὐταῖς ἐκλέγεσθαι τὰ σεμνότερα τῶν ὀνομάτων, ἀλλὰ μὴ τὰ κοινὰ καὶ δεδημευμένα καὶ ταῦτα ἐναρμονίως συμπλέκειν ἀλλήλοις, ὥστε διὰ τούτων καὶ τῶν τούτοις ἑπομένων, οἷον σαφηνείας, γλυκύτητος, καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν, ἔτι τε μακρολογίας καὶ βραχυλογίας κατὰ καιρὸν πάντων παραλαμβανομένων, ἧσαί τε τὸν ἀκροατὴν καὶ ἐκπλῆξαι καὶ πρὸς τὴν πειθὼ χειρωθέντα ἔχειν. τῆς δέ γε πρὸς τὰ πράγματα τοῦ λόγου σχέσεως ὁ φιλόσοφος προηγουμένως ἐπιμελήσεται, τό τε ψεῦδος διελέγχων καὶ τὸ ἀληθὲς ἀποδεικνύς.* Eadem Theophrasto sententia vindicatur ab interprete Arist. *περὶ ἑρμ.* ignoto quodam (cf. schol. Brandis. t. I. p. 94 a.) qui haec tradit: *Φησὶν ὁ Θεόφραστος· τοῦ λόγου σχέσεις ἔχοντος τὴν μὲν πρὸς τοὺς ἀκροατάς, τὴν δὲ πρὸς τὰ πράγματα, τὴν μὲν πρὸς τοὺς ἀκροατὰς ποιηταὶ καὶ ῥήτορες διώκουσι, τὴν δὲ πρὸς τὰ πράγματα φιλόσοφοι.* Hunc locum Fabricius (bibl. Gr. III. p. 451.) cumque eo Westermannus (Geschichte d. Griech. Beredts. §. 78. 9.) e libro *περὶ λέξεως* existimarunt exscriptum esse, ad quod iudicium illi et libri auctoritate et ea re videntur esse perducti, quod in eo loco totum quasi fundamentum ante oculos ponitur, quo nititur eloquentia. Verumtamen non est diffitendum latius patere illam sententiam, eamque Theophrastum cum aliis in libris tum maxime in libro *περὶ καταφάσεως*

καὶ ἀποφάσεως pronuntiare potuisse, (cf. Diog. V. §. 44. ibique Menag.), quo Aristotelis commentationom *περὶ ἑρμηνείας* multimodis explicasse et illustrasse videtur. (cf. schol. Brandis. Arist. t. IV. p. 97 et Boeth. II, 284.) Ammonius autem et interpres ille hunc Theophrasti locum in commentariis attulerunt, quibus illi librum Aristotelicum *περὶ ἑρμηνείας* illustrarunt. Sententiae vero illius initia et quasi semina apud Aristotelem in libris de arte poetica et *περὶ ἑρμηνείας* Bernhardyus reperire sibi visus est (Encyklop. der Philol. p. 200.), maxime vero in rhetor. 1, 2, 3. *τῶν δὲ διὰ τοῦ λόγου ποριζομένων πίστεων τρία εἴδη ἐστίν· αἱ μὲν γάρ εἰσιν ἐν τῷ ἤθει τοῦ λέγοντος, αἱ δὲ ἐν τῷ τὸν ἀκροατὴν διαθεῖναί πως, αἱ δὲ ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ διὰ τοῦ δεικνύναι ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι.* Etiam alias vidimus, quae apud Aristotelem aut breviter indicata erant aut quibusdam quasi involucris obtecta etiamtum latebant, ea Theophrastum in lucem protraxisse et uberius persecutum esse. cf. supra Nr. 4, p. 27., et Nr. 6, p. 32., et p. 40, I. et p. 42, VI. et VII. p. 43, X. p. 46, XIII. p. 49. p. 51, XXII., quibus adiicere lubet Boethii testimonium, qui II. p. 284 de Theophrasto haec: „In omnibus, de quibus „ipse disputat post magistrum, leviter ea tangit, quae ab Aristotele dicta „ante cognovit, alias vero diligentius res non ab Aristotele tractatas ex„sequitur."

Supersunt praeter haec, quae omnia e libro *περὶ λέξεως* fluxisse videntur, duo fragmenta, quae infra (Nr. 13. et 13.) exscribere in animo est.

11) Libro *περὶ λέξεως* accensendos esse duco duos alios libros, quos opinari possis esse eosdem, diversis modo titulis significatos. Quoties enim tituli varient, in vulgus notum est. Intelligo autem *παραγγέλματα ῥητορικὰ ά*, quae §. 47. citantur, et *περὶ τέχνης ῥητορικῆς*, cuius libri titulus §. 48. extat. Ita tamen tres illos alium ab alio diversos fuisse libros demonstrari potest, ut dicamus, a Diogene tres illos una e tabula (cf. p. 22.) esse transscriptos, ut si diversa haec non fuerunt opera, non solum Diogenes, verum etiam illius tabulae auctor negligentiae ac socordiae sit incusandus. Etiam hac ratione diversitatem trium illorum librorum quispiam in animum induxerit demonstrare, quod Theophrastum, qui cum de aliis singulis partibus artis rhetoricae, tum de elocutione exposuerit, credibile sit, etiam totam artem uno opere comprehendisse, ac brevius fusiusve, quaecunque ad artem dicendi pertinerent, uno filo pertexuisse, eumque librum esse ab eo appellatum *τέχνην ῥητορικήν*, quum *παραγγέλματα ῥητορικὰ* videantur praecepta de singulis quibusdam partibus artis continuisse, quae ab eo in ceteris libris sive omis-

sae, sive obiter commemoratae erant. Quod quomodocunque est, de neutro libro ullum ad nos ex aliis scriptoribus pervenit neque testimonium neque fragmentum. Quae enim Menagius τέχνης ῥητορικῆς attulit testimonia, ea partim incerta, partim falsa sunt. Commemorat ille interpretem Hermogenis (apud Walz T. IV. p. 35.), qui laudaverit hanc artem, verum hanc fuisse τέχνην ῥητορικὴν περὶ ἐνθυμημάτων supra (p. 34.) est patefactum. Alii loci, quos affert ille, e libro περὶ λέξεως videntur petiti esse. Denique quod ab illo Quintiliani verba citantur (III, 1, 15.): „Theophrastus quoque, Aristotelis discipulus, de rhetorice diligenter scripsit,“ et Ciceronis: (de divin. II, 1.) „Aristoteles itemque Theophrastus cum philosophia dicendi etiam praecepta coniunxit,“ quibus et haec Tulliana addi poterunt: de or. I, 13, 55. „quibus de rebus (de arte dicendi) Aristotelem et Theophrastum scripsisse fateor,“ et de orat. I, 10, 43. „Peripatetici haec ipsa, quae propria oratorum putares esse argumenta atque ornamenta dicendi, ab se peti vincerent oportere: ac non solum meliora, sed etiam multo plura Aristotelem Theophrastumque de his rebus, quam omnes dicendi magistros, scripsisse ostenderent,“ et de fin. V, 4, 10. „Disserendi ab Aristotele et Theophrasto non dialectice solum sed etiam oratorie praecepta sunt tradita,“ haec igitur omnia testimonia nihil nisi hoc docent, Aristotelem et Theophrastum de arte dicendi fusius disseruisse, non illud, quod hoc loco quaeritur, Theophrasti extitisse librum περὶ τέχνης ῥητορικῆς inscriptum. Postremo Spengelii art. script. p. 3. opinio est commemoranda, qui censet, quum Theophrasti liber extiterit τέχνη ῥητορικὴ περὶ ἐνθυμημάτων, de quo p. 32. diximus, hunc ab oscitante Dion. in duos libros alterum illum περὶ ἐνθυμημάτων, alterum περὶ τέχνης ῥητορικῆς esse discerptum. Verumtamen huic ego sententiae meum non ausim adiicere calculum; siquidem in re incerta multae facile effutiuntur coniecturae, quae neque probari possint neque argumentis refelli.

12) In Laertii tabulis reperimus etiam §. 47. λύσεις, quem librum videmur iure inter rhetoricos referre. Λύσις enim est ἡ τὴν ἐκ τῆς ἐνστάσεως βλάβην ἀφαιρουμένη καὶ εἰς τὸ ἐξ ἀρχῆς τὸν ἀκροατὴν μετάγουσα καὶ εἰς συγκατάθεσιν ἐλθεῖν πείθουσα τοῦ προκειμένου ζητήματος, quam definitionem quae extat apud ignotum Aphthonii interpretem conf. Walz. T. II. p. 2 et 7., si ad Theophrastum transferre liceret, hic liber cum commentariis περὶ ἐνστάσεων (cf. p. 27.) arctissime cohaereret. Verumtamen si quis apud hunc latius hoc verbum patere eoque cuiusvis argumentationis refutationem notari contenderit, propterea huic lubens ego adsentiar, quod ab Aristotele λύσεως notio non arctis illis continetur finibus, sed in rhetor. libr. II., post expositam enthymematis rationem ac disciplinam, c. XXVI., quod περὶ λύσεων est inscriptum, hoc λύειν ita explicatur: ἔστι λύειν ἢ ἀντισυλλογισάμενον, ἢ ἔνστασιν ἐνεγκόντα. Atque Aristoteles ipse fertur λύσεις ἐριστικάς δ' scripsisse (cf. Diog. L. V. §. 22.), Theophr. vero λύσεις, quum absit a titulo adstringens notatio, ad quodvis refutandi genus videntur pertinuisse. Sed quoniam hic λύσεως facta est mentio, videtur etiam de alio quodam libro esse commonendum, qui bis a Diogene citatur §. 42. περὶ ἀναλύσεως συλλογισμῶν et §. 45. περὶ συλλογισμῶν λύσεως, qui quin idem liber sit, dubitari non potest. Eundem librum novit Alexander Aphrodis., qui in analyt. prior. libr. I. haec scripsit: γράφει τὴν αὐτὴν μέθοδον καὶ Θεόφραστος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ περὶ ἀναλύσεως συλλογισμῶν. Simile sine dubio argumentum habuit alius Theophrasti liber, a Diogene §. 47. titulo περὶ κρίσεως συλλογισμῶν notatus. Hi vero libri, id quod in multos cadit alios, utrum ad dialecticos, an ad rhetoricos referendi sint, possis ambigere. Argumentationes vero cum apud rhetores vocentur ἐνθυμήματα, συλλογισμοί apud dialecticos, quumque a dialecticis diligentissime de argumentationum refutatione disputatum esse constet, hos libros a rhetoricis segregandos esse iudico, ita tamen ut ex his quoque multum fructum ad oratorem futurum redundaturum fuisse concedam. Atque eundem in censum veniunt alii libri, eloquentiae studiosis sane utilissimi, nihilominus tamen in rhetoricorum numero non ponendi, in quibus, ut unum tantum nominem, est Theophrasti liber Topicorum, quem attulit Diogenes Laertius §. 45. titulo τοπικῶν ά β', cuius plura supersunt fragmenta. Nam praeter ea testimonia, quae Meursius in Theophrasto suo (Nr. XCII.) attulit, alia quaedam eaque numero non pauca possunt conferri, e quibus unum hoc notasse iuvat ex Alexandri Aphrod. comment. ad Arist. top. p. 5. (ed. Ald.) ἔστι γὰρ ὁ τόπος, ὥς λέγει Θεόφραστος ἀρχή τις ἢ στοιχεῖον, ἀφ' οὗ λαμβάνομεν τὰς περὶ ἕκαστον ἀρχάς, (cf. schol. Arist. ed. Brand. T. I. p. 252. a. 12. et 263. b. 3.) qua docemur definitione, doctrinam de topicis secundum Theophrastum ad unum quodvis meditandi dicendive genus, non ad solam rhetoricam pertinuisse, sive, ut Aristoteles top. I. c. 2. dicit, πρὸς γυμνασίαν, πρὸς τὰς ἐντεύξεις, πρὸς τὰς κατὰ φιλοσοφίαν ἐπιστήμας.

13) Diogenes §. 48. in libris Theophrasti numerat etiam προοιμίων ά. Prooemiorum nomen et rationem apud Graecos Corax dicitur invenisse (cf. et Doxopatri et Troili prolegomena rhetor. apud Walz. T. VI. p. 11 et 49.)

Ac verissimum illud Hesiodi dictum *ἀρχὴ ἥμισυ παντός*, quum in nullam rem magis cadere videatur, quam in orationum principia, ad hanc rem post Coracem multi animos adverterunt atque disciplinam et exempla prooemiorum proposuerunt. Primus vero qui fuerit, qui prooemia confecerit aliorum hominum in usum, comperimus e Suida, qui s. v. *κέφαλος* haec tradidit: *Κέφαλος Ἀθηναῖος ῥήτωρ καὶ δημαγωγὸς, ὃς πρῶτος προοίμια καὶ ἐπιλόγους συντέθεικε. γέγονε δὲ πρὸ τῆς ἀναρχίας*, sic enim, non *ἐπὶ τῆς ἀναρχίας* legendum esse vidit Spengelius in art. script. p. 105. Deinceps vero Antiphon *προοιμίων καὶ ἐπιλόγων* fasciculum edidit, e quibus tria servavit fragmenta Suidas s. v. *ἅμα, αἰσθέσθαι* et *μοχθηρός*. Atque in scholis rhetorum quae tradita erant eius generis prooemia discipulos edidicisse atque ita in usum suum convertisse, ut ubicunque placeret ea suis orationibus praetexerent, luculento demonstravit l. c. Spengelius exemplo. Neque si in animum revocamus, quoties subito in foro aut in senatu ii, qui rebus publicis praeessent, dicere coacti sint, illud est mirandum, vel praeclarissimos oratores similia quaedam habuisse conscripta, quibus uterentur, si quando ex tempore esset dicendum. Itaque Demosthenis supersunt quinquaginta sex prooemia, quae quamvis suppositicia esse concedam, tamen magnorum oratorum morem illum testantur. Quid quod ceteri etiam scriptores exordia, quae libris praefigerent, parata habuerunt, et Ciceroni accidit, ut ad duos idem prooemium e promtuario arcesseret libros. (cf. Cic. ad Att. XVI, 6.). Itaque Tiberius rhetor auctore Suida s. v. *Τιβέριος περὶ προλαλιῶν καὶ προοιμίων* i. e. de librorum praefationibus et orationum exordiis scripsit, in quo commentario exempla infuisse quaedam et praefationum et prooemiorum suspicari licet. Omnes vero artifices de ea re subtiliter et curiose disserunt, in quibus numerandi sunt auctor rhetoricae ad Alexandrum c. 30. et Aristoteles III, 14. et auctor ad Her. I. c. 4—7. et Cic. de Inv. c. 15—18.; atque hi latini auctores inter *προοίμιον* et *ἔφοδον* discernunt, cuius discriminis nulla apud Graecos illos fit mentio. Quintilianus etiam eam rem persequitur et IV, 1, 5. et IX, 4, 128., denique etiam totus de ea re libellus extat Apsinis *περὶ προοιμίων καὶ πίστεων* apud Walz. T. IX. p. 467., quocum Walz. T. IV. p. 35. est conferendus. Theophrastum autem in *προοιμίων* libro non solum exempla quaedam prooemiorum, quae discipulis suis usui essent, existimo proposuisse, verum etiam de tota prooemii ratione ac disciplina disseruisse. Eo enim e libro petitum videtur, quod Quintilianus IV, 1, 32. tanquam Theophrasteum retulit, enumeratis rebus extra causam, unde orationis principium re-

peti

peti posset, tempus quae sunt, et locus, et habitus, et opinio, et fama iudiciorum, et exspectatio vulgi, haec addit: „Adiicit Theophrastus ab „oratione principium, quale videtur esse Demosthenis pro Ctesi„phonte, ut sibi dicere suo potius arbitrio liceat rogantis, quam eo modo, „quam accusator actione praescripserit.“ E quibus apparet Theophrastum sive in prooemiis, sive alio in libro rhetorico res enumerasse extra causam positas, ad causam tamen pertinentes, quae aptam ad orationis exordium praeberent materiam. Ex his autem, quae huc usque disputavimus, abunde intelligi potest, Fabricii coniecturam, qui quod Theophrasti *παροιμιῶν* liber, quem Laert. §. 45. posuit, aliquoties apud alios scriptores laudetur, *προοιμίων* autem unus Laert. sit testis, hoc prooemiorum volumen omnino extitisse in bibl. gr. III. c. 9, 17. negavit, prorsus esse reiiciendam, praesertim quum Theophrastum, qui fere omnes graviores eloquentiae partes singulis pertractavit voluminibus, hoc gravissimum munus oratoris non subterfugisse, sed diligenter et accurate veri sit simillimum pertractasse.

14) Huic libro par est subtexere ex eadem paragrapho alium titulum *περὶ προθέσεως καὶ διηγήματος ά*. Aristoteles rhet. III, 13. necessarias duas esse orationis partes dicit *πρόθεσιν* et *πίστιν*, plerumque tamen reperiri *προοίμιον, πρόθεσιν, πίστιν, ἐπίλογον*, et vituperat eos, qui cum Theodoro *διήγησιν* et *ἐπιδιήγησιν* et *προδιήγησιν* atque *ἔλεγχον* et *ἐπεξέλεγχον* discernant. *Προθέσεως* autem nomine intellexit ille et *προθέσιν* et *διήγησιν*, id quod inde apparet, quod rhetor. III, 16., ubi rem illam accuratius exsequitur, pro *προθέσεως* vocabulo *διήγησιν* nomen usurpat. Videmus igitur Theophrastum in his rebus a praeceptore non timide dissensisse; nam quum ille eos, qui narrationem in *προδιήγησιν* et *διήγησιν* et *ἐπιδιήγησιν* distinxissent, vituperasset, hic illud discrimen quadamtenus revocavit et *πρόθεσιν* a narratione disiunxit. In eaque re recte fecisse Theophrastus putandus est; plerumque enim in orationibus res, qua de agitur, a narratione ita discernitur, ut primum breviter caussae summa indicetur, post tota res enarretur, tum vero ea argumentis confirmetur. Eandem rationem Dionysius in iudicio de Lysia videtur secutus esse, qui *πρόθεσιν* inter prooemium et narrationem posuit mediam. Hic enim T. II. p. 87. 21. *τὰ τῶν προοιμίων συντόμως καὶ ἀφελῶς διανοίαις τε χρησταῖς καὶ γνώμαις εὐκαίροις καὶ ἐνθυμήμασι μετρίοις περιλαβὼν ὁ Λυσίας ἐπὶ τὴν πρόθεσιν ἐπείγεται, δι᾽ ἧς τὰ μέλλοντα ἐν ταῖς ἀποδείξεσι λέγεσθαι προειπὼν καὶ τὸν*

ἀκροατὴν παρασκευάσας εὐμαθῆ πρὸς τὸν μέλλοντα λόγον ἐπὶ τὴν διήγησιν καθίσταται. καί ἐστι μεθόριον αὐτῷ ἑκατέρας τῶν ἰδεῶν ὡς τὰ πολλὰ ἡ πρόθεσις. De narratione ante Aristotelem diligentissime exposuit Isocrates, cuius praecepta, quanquam partim sunt irrisa a Stagirita rhet. III, 16, 4., tamen auctoritatem tantam habuerunt, ut optimi eum secuti sint scriptores, maxime Theon, qui in progymnasmatis cap. 4., quae de narratione habet, fere omnia ex Isocratis disciplina se mutuatum fatetur esse. cf. Walz T. I. p. 182—201. Et multa ex eadem disciplina transierunt ad auctorem librorum ad Herennium I, c. 8. et ad Ciceronem de inv. I, 19 et de orat. II, 80., denique etiam ad Quint. IV, 2., cuius ex opere potest intelligi, de definitione, de vi et usu ac virtutibus narrationis plurimos scriptores magna cum cura commentatos esse. Ceterum illud monuisse iuvat, apud optimos artium scriptores inter διήγησιν et διήγημα nullum significationis fuisse discrimen, quod Theon indicat, quem in hac quoque re Isocratem secutum esse existimo, qui illis nominibus promiscue utitur. Nam ratio ista, qua haec verba apud Hermogenem (conf. Walz. T. I. p. 16.) et Aphthonium (Walz T. I. p. 60.) discriminantur, tam inepta ac futilis est, ut nihil in ea sit immorandum.

15) Περὶ παραδείγματος ά liber, qui citatur a Diogene §. 48., cohaeret quodammodo cum commentationibus Theophrasti de enthymemate, de quibus quum p. 34. diceremus, significavimus, demonstrationes ab Aristotele discerni in inductiones et in syllogismos; atque syllogismum rhetoricum vocari ei enthymema, demonstrationem, quae fieret per inductionem, παράδειγμα i. e. exemplum. Atque Aristoteles, qui in enthymemate summam orationis vim putabat inesse (cf. topic. I, 10. et rhet. I, 1, 3.), breviter exempli rationes attigit in analyt. pr. II, 26. et in topic. I, 10. et in rhet. I, 2.; Theophrastus vero qui agros a praeceptore neglectos eadem sedulitate coluit, qua hortos a Stagirita irrigatos et egregiis floribus consitos amplificavit novisque germinibus exornavit, hunc quoque de exemplo locum persecutus est, eumque quem cum in rhetoricis, tum in logicis scimus in rerum generibus discernendis acerrimum ac diligentissimum fuisse cf. Boëth. (ed. Basil. 1541.) p. 494 et 596 et p. 605., etiam consentaneum est in variis exempli formis indagandis aliquam posuisse operam, propterea quod neque Anaximenes in rhetorica ad Alexandrum cap. 9., neque Aristoteles exemplorum varia genera distinxerunt, omnes autem post illum artis dicendi magistri exemplorum multa genera discriminaverunt. Auctor quidem ad Herennium IV, 45. similitudinem, exemplum, imaginem discernit, quae fusius exsequitur Cicero de invent. I, 30., et Apsines parabolen a paradigmate separans (cf. Walz t. IX. p. 517.) παραβολή, inquit, παραδείγματος τοῦτο διαφέρει, ὅτι ἡ μὲν παραβολὴ ἀπὸ ἀψύχων ἢ ζώων ἀλόγων λαμβάνεται, ὡς παρ' Ὁμήρῳ, ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος, ἀπὸ δὲ ἀψύχων ὡς παρὰ Δημοσθένει „ὥσπερ γὰρ οἰκίας οἶμαι καὶ πλοίου·“ τὰ δὲ παραδείγματα ἐκ γεγονότων ἤδη πραγμάτων λαμβάνεται ἢ προσώπων. et Quintilianus de exemplorum usu praecipiens confitetur V, 11, 30. „Scio quosdam inani diligentia per minutissimas ista partes secuisse et esse aliquid minus simile, ut simia homini et marmora deformata prima manu: aliquid plus, ut illud, non ovum tam simile ovo: et dissimilibus inesse simile et similibus dissimile etc.“ Quibus ego testimoniis inducor ad credendum, Theophrastum primum circa exemplorum genera, rationes et formas maiore cum cura elaboravisse, multorumque praeceptorum, quae in posteriorum libris nullo inventoris nomine insignita circumferuntur, auctorem ac principem extitisse.

16) Sequitur titulus περὶ τεχνῶν ῥητορικῶν εἴδη ξά. Ita is apud Hübnerum extat; Frobenius et Stephanus ediderunt εἴδη ιζ, quae scriptura codice Cantabrigiensi confirmatur. Spengelius in art. script. pag. 3. hoc libro eadem censet enarrata fuisse, quae Aristotelis liber, qui τεχνῶν συναγωγή inscriptus erat, comprehenderit. Aristoteles enim omnes scriptores artis dicendi, qui ante eum vixerunt, usque a principe illo atque inventore Tisia repetitos unum in locum conduxerat et nominatim cuiusque praecepta magna conquisita cura perspicue conscripserat atque enodata diligenter exposuerat, uti Cicero de invent. II, et de orat. II, 38. testatur. Idem argumentum Spengelius a Theophrasto existumat hoc libro tractatum esse, eiusque sententiam temere sequuntur Maerker. ad Theodect. p. 36. et Goeller. in comment. ad Cic. or. p. 126. Spengelius enim nullum, quo hanc comprobaret coniecturam, argumentum attulit; neque vero ille explanavit, quaenam fuerint illa εἴδη in περὶ τεχνῶν ῥητορικῶν εἴδη ιζ sive περὶ τεχνῶν ῥητορικῶν· εἴδη ιζ, ita enim ei praeplacet. Equidem aliorum librorum inscriptionibus in aliam ducor coniecturam. Primum enim Aristidis τεχνῶν ῥητορικῶν libri duo, qui apud Walz. t. IX. p. 340. extant, significant, id quod etiam aliunde constat, τέχναι numero plurali de quibusvis dici artibus sive artificiis, quibus exornatur et illustratur oratio. In primo autem Aristidis libro disseritur, ut ipsius auctoris verba afferam, περὶ τῶν εἰδῶν καὶ ἀρετῶν, ἐξ ὧν συνίσταται ὁ πολιτικὸς λόγος καὶ δι' ὧν δοκιμάζεται καὶ πολ-

λοῦ ἄξιος προάγεται, αἵτινες τοιαίδε καὶ τοσαίδε εἰσί· σεμνότης, βαρύτης, περιβολή, ἀξιοπιστία, σφοδρότης, ἔμφασις, δεινότης, ἐπιμέλεια, γλυκύτης, σαφήνεια καὶ καθαρότης, κόλασις, βραχύτης, συντομία. Addunt Walzius et Dindorfius duas alias virtutes auctore Normanno σύνθεσιν et παράφρασιν, nulla illi codicum auctoritate nitentes, ac nescio quo augurio ducti, quod additamentum cur alienum censeam ab illo loco, nunc non vacat explicare. Duodecim igitur εἴδη sive ἰδέας ille statuit esse orationis. Alterum enim verbum saepe pro altero dicitur; cf. Isocr. contra soph. §. 16.: φημὶ τῶν μὲν ἰδεῶν, ἐξ ὧν τοὺς λόγους ἅπαντας καὶ λέγομεν καὶ συντίθεμεν, λαβεῖν τὴν ἐπιστήμην οὐκ εἶναι τῶν πάνυ χαλεπῶν, et §. 17. δεῖ τὸν μαθητὴν πρὸς τῷ τὴν φύσιν ἔχειν οἵαν χρὴ τὰ μὲν εἴδη τὰ τῶν λόγων μαθεῖν· atque Hermogenes, cuius duo libri περὶ ἰδεῶν satis noti sunt, saepe pro ἰδέα dicit εἶδος. cf. apud Walz. t. IV. p. 190. l. 24. πρόκειται, ὁποῖόν τί ἐστι σεμνότης, δεῖξαι καὶ ὅπως γίγνεται, ὁποῖόν τί ἐστι τραχύτης ἢ ἀφέλεια καὶ τὰ λοιπὰ τῶν λόγων εἴδη et p. 194. l. 3. πρῶτον ἐξ ὧν ἅπας λόγος πέφυκε γίνεσθαι καὶ ὧν ἄνευ οὐκ ἄν ποτε συσταίη τι λόγων εἶδος, ῥητέον et p. 195. l. 12., et p. 197. l. 8. Etiam Anaximenes in rhet. ad Alex. hoc vocabulo utitur, quanquam alia significatione, apud Bekk. p. 1421. v. 2. δύο γένη τῶν πολιτικῶν εἰσι λόγων τὸ μὲν δημηγορικόν, τὸ δὲ δικανικόν· εἴδη δὲ τούτων ἑπτά· προτρεπτικόν, ἀποτρεπτικόν, ἐγκωμιαστικόν, ψεκτικόν, κατηγορικόν, ἀπολογητικὸν καὶ ἐξεταστικόν. Quid impedit igitur, quominus Theophrastum putemus singulas enumerasse orationis sive formas sive virtutes non ξά sexaginta unam, sed ιζ decem et septem? utpote quem sciamus etiam alias ad recensenda rerum genera ac species propensum fuisse. Alia etiam res meam videtur sententiam confirmare. Hermogenes, quem notum est pleraque ex aliis scriptoribus, celato auctorum nomine, in suos transtulisse libros, is igitur septem dicit orationis esse formas (ἰδέας) σαφήνειαν, μέγεθος, κάλλος, γοργότητα, ἦθος, ἀλήθειαν, δεινότητα· σαφήνειαν autem e duabus constare posse rebus, μέγεθος e sex, itidemque ἦθος e sex virtutibus. Iam computatis singulis virtutibus omissisque eorum generum nominibus, quae e pluribus virtutibus constant, habemus orationis tot numero species, quot recensuisse videtur Theophrastus, ιζ, decem et septem. Apud Hermogenem hae enumerantur καθαρότης et εὐκρίνεια (pro σαφηνείᾳ) σεμνότης, περιβολή, τραχύτης, λαμπρότης, ἀκμή, σφοδρότης (quibus sex rebus efficitur μέγεθος), deinde κάλλος, γοργότης, post ἦθος, cui subiicit ἀφέλειαν, γλυκύτητα, δριμύτητα, ἐπιείκειαν et βαρύτητα, denique accedunt ἀλήθεια, δεινότης. Apud hunc igitur diversae dicendi formae sive species

extant decem et septem, idemque numerus in illo Theophrasti libro reperitur. Neque ego in ea sum opinione, ut Hermogenem haec a Theophrasti libro iudicem verbo tenus transscripsisse; hoc tamen videtur esse probabile, quum ante Theophrastum artium scriptores singula orationum genera singulasque virtutes notassent (cf. et Anaxim l. c. et Aristot. rhet. III. c. 2—11.), hunc ad eandem rem animum advertisse et singulas, quaecunque usurpatae erant, orationum formas conquisivisse, ac de iis hunc librum conscripsisse.

17) Deinceps in tabula Diogenis περὶ ὑποκρίσεως librum unum invenimus, quem quamvis contendere possis ad scenicam pertinuisse actionem, tamen ego ad oratoriam spectasse arbitror. Primum enim Aristoteles paucos eam rem attigisse monet (de rhet. III, 1, 3—5. ἐγκεχειρήκασι ἐπ' ὀλίγον περὶ τῆς ὑποκρίσεως εἰπεῖν τινες· οἷον Θρασύμαχος ἐν τοῖς Ἐλέοις); neque tamen ipse eam explanat, ut suspicari possis, Theophrastum provinciam a praeceptore derelictam suscepisse et de actione rhetorica accuratius esse commentatum. Deinde vero extat etiam fragmentum, e quo quanti Theophrastus oratoris actionem fecerit, appareat. Servavit illud rhetor quidam ignotus apud Walzium t. VI. p. 35., neque a vero aberraverit, qui locum illum ex ea scriptione, de qua nunc agimus, putaverit petitum esse. Leguntur autem ibi haec: Θεόφραστός φησιν εἶναι μέγιστον ῥητορικῇ πρὸς τὸ πεῖσαι τὴν ὑπόκρισιν εἰς τὰς ἀρχὰς ἀναφέρων καὶ τὰ πάθη τῆς ψυχῆς καὶ τὴν κατανόησιν τούτων, ὡς καὶ τῇ ὅλῃ ἐπιστήμῃ σύμφωνον εἶναι τὴν κίνησιν τοῦ σώματος καὶ τὸν τόνον τῆς ψυχῆς. Et honorificum quod habuerit Theophrastus de actione iudicium, significat etiam Cicero, qui in libro de oratore tertio c. 59. prolixius de pronuntiatione disserens, quae magnam partem de Graecis hausta esse opinari possis, cum omnem actionem multum apud auditores valere dicit, tum maximam vim in oculis inesse contendit, quae nulla sit atque pereat, si quis idem contuens dicat; quibus haec Cicero addit: „Theophrastus quidem Tauriscum quendam dixit actorem „aversum solitum esse dicere, qui in agendo contuens aliquid pronuntiaret.“ Quem locum e Theophrasti libro περὶ ὑποκρίσεως sumtum esse arbitror, qui congruenter ad ea quae Cicero l. l. praecipit: „In ore sunt omnia; in eo autem ipso dominatus est omnis oculorum“ et „Animi est omnis actio, et imago animi vultus est, indices oculi. Nam haec est una pars corporis, quae quot animi motus sunt, tot significationes et commutationes possit efficere,“ laudavit lepidum Taurisci

dictum, qui eos, qui in agendo contuentes aliquid pronuntiarent, cum actoribus aversis comparandos esse censuerit. Quis fuerit ille Tauriscus, ignoramus; hoc unum certum est, non fuisse eum, quem Schützius putaverit, Cratetis Mallotae sive Pergameni auditorem, qui arti criticae grammaticam subiecit, commemoratum illum a Sexto Empirico adv. Math. p. 268. ed. Fabric. Is enim natu multo fuit recentior. Theophrasto igitur, qui sales ac facetias amabat, illa Taurisci sententia et propter dictionis leporem et propter iudicii veritatem admodum placuit, eoque magis, quod ipse actioni admodum deditus fuit. Athenaeus enim I. p. 21 A. (cf. supra p. 15.) narrat Theophrastum in docendo a nullo corporis motu neque ab ulla gesticulatione sese abtinuisse, catillonem aliquando imitantem et exserta lingua usquequaque circum os labia linxisse. Ex qua re si quis hanc fecerit coniecturam, magnum hoc Theophrasti περὶ ὑποκρίσεως volumen fuisse, propterea non adsentiar, quod uti ante Theophrastum Aristoteles, ita etiam auctor ad Herennium, in graecis latinisque litteris bene versatus, de paucitate eorum, qui de ea re commentati sint, conqueritur. Is enim III. c. 11. §. 153. haec habet: „Quia nemo de pronuntiatione diligenter scripsit, (nam omnes vix posse putarunt de voce et vultu et gestu dilucide scribi, cum hae res ad sensus nostros pertinerent) et quia magnopere ea pars a nobis ad dicendum comparanda est, non negligenter videtur tota res consideranda.“

18) Sequitur §. 49. liber περὶ δικανικῶν λόγων unus. Quum Aristoteles orationum tria genera statuerit esse, iudiciale, concionale et illud, quod Graece ἐπιδεικτικόν vocabatur, hanc eius Theophrasto divisionem probatam fuisse cum e fragmentis, quae supra pag. 51. sunt commemorata, effici potest, tum vero etiam inde concludi, quod, ut Quintiliani verbis utar III, 4, 1., „prope omnes utique summae apud antiquos auctoritatis scriptores Aristotelem secuti hac partitione contenti fuerunt.“ Ex his tribus orationum generibus maxime colebatur iudiciale. Quod cur factum sit, in aperto est. Etenim reipublicae praeesse et populi voluntatem in concionibus regere pauci poterant atque regum sub imperio concionalis eloquentia fere obmutuit, iudicia vero inter omnes homines, qualiscunque civitatum fuit gubernatio, fervebant, itaque pro reis et contra reos semper dicendi occasio et necessitas aderat. Genus etiam ἐπιδεικτικόν, ab hominibus doctis inventum et quanticunque inter Graecos habitum, paucos tantum accire ac retinere potuit cultores. Itaque multi doctores aut omne tempus aut certe plurimum in genere iudiciali explanando et exercendo consum-

serunt, cuius rei significatio extat apud Platonem in Phaedro pag. 261 B. μάλιστα μέν πως περὶ τὰς δίκας λέγεται καὶ γράφεται τέχνῃ, λέγεται δὲ καὶ περὶ δημηγορίας, ἐπὶ πλέον δὲ οὐκ ἀκήκοα. atque apud Isocr. in soph. §. 19. οἱ πρὸ ἡμῶν γενόμενοι καὶ τὰς καλουμένας τέχνας γράψαι τολμήσαντες - - ὑπέσχοντο δικάζεσθαι διδάξειν. Pluribus illud comprobat Aristoteles, qui in rhet. I, 1, 10. eos, qui de diversis dicendi generibus singulatim praecipiant, et maxime in causis dicendis versentur, his verbis vituperat: τῆς αὐτῆς οὔσης μεθόδου περὶ τὰ δημηγορικὰ καὶ δικανικὰ καὶ καλλίονος καὶ πολιτικωτέρας τῆς δημηγορικῆς πραγματείας οὔσης ἢ τῆς περὶ τὰ συναλλάγματα, περὶ μὲν ἐκείνης οὐδὲν λέγουσι, περὶ δὲ τοῦ δικάζεσθαι πάντες πειρῶνται τεχνολογεῖν· ὅτι ἧττόν ἐστι πρὸ ἔργου τὰ ἔξω τοῦ πράγματος λέγειν ἐν τοῖς δημηγορικοῖς καὶ ἧττόν ἐστι κακοῦργον ἡ δημηγορία δικαιολογίας ἀλλὰ κοινότερον. Quae sententia Theophrastum, qui non totus ex praeceptore pependit, nihil impedivit, quo minus de genere iudiciali librum exararet. Etiam post eum certe apud Romanos haec pars eloquentiae propter frequentem usum maxime est tractata. Itaque auct. ad Her. II, 1, 48. „Causarum,“ inquit, „tria sunt genera, demonstrativum, deliberativum, iudiciale; multo difficillimum est iudiciale,“ et Apollodorus Pergamenus, Caesaris praeceptor, omnem artem dicendi ad causas iudiciales restrinxit et finem orationis dixit esse, persuadere **iudici** et sententiam eius ducere in id, quod velit (Quintil. III, 1, 1.), et de iudicialibus causis multi separatim scripserunt et de unaquaque earum parte complures libros ediderunt (Quintil. IV. prooem. §. 6.).

19) Denique de eo libro pauca sunt verba facienda, quem titulo περὶ διαβολῆς α΄ ter §. 46., §. 49 et §. 50. citavit Laertius, quem praeterea, quantum equidem sciam, nemo veterum scriptorum commemoravit. Itaque difficile dictu est, utrum ille ad doctrinam de moribus pertinuerit, an inter rhetoricos libros sit referendus. Mea tamen sententia eo inclinat, ut ad artem dicendi spectasse illum existimem. Primum enim iam alii ante Theophrastum, qui de arte dicendi praecipiebant, de accusatione sive criminatione disseruerunt, in quibus fuisse Thrasymachum, sive illud fecit in libro, qui Ἔλεοι erat inscriptus, sive peculiarem περὶ διαβολῆς conscripsit commentationem, Spengelius in art. scr. p. 95. e Platonis Phaedro p. 82. luculenter demonstravit. Aristoteles etiam artium scriptores ante se ad hanc rem explicandam multum operae ac studii contulisse refert in rhet. I, 1, 3. his verbis: νῦν οἱ τὰς τέχνας τῶν λόγων συντιθέντες ὀλίγον πεποιήκασι τῆς ῥητορικῆς μόριον. - - - οἱ γὰρ περὶ μὲν ἐνθυμημάτων οὐδὲν λέγουσι,.... περὶ δὲ τῶν ἔξω τοῦ πράγματος τὰ πλεῖστα πραγματεύονται. Διαβολὴ γὰρ καὶ ἔλεος καὶ ὀργὴ καὶ τὰ τοιαῦτα πάθη τῆς ψυχῆς οὐ περὶ τοῦ πράγματός ἐστιν, ἀλλὰ πρὸς τὸν δικαστήν. Atque Aristoteles ipse quomodo accusatio sive refellenda sive declinanda esset, in rhet. III. c. 15. ea qua solet brevitate ac subtilitate explicavit. Praeterea insequentes rhetores διαβολῆς passim mentionem iniiciunt. Hoc unum etiamnunc possit quaeri, utrum Theophrastus magis calumniae an accusationis sive crimina-

tionis notionem huic verbo tribuerit, utramque enim habebat significationem,
quod Syrianus apud Walzium t. IV. p. 98. his indicat verbis: διττὸν τῆς
διαβολῆς ὄνομα. ἐπί τε γὰρ τῆς διαβολῆς αὐτῆς τάττεται, ὡς παρὰ Μενάνδρῳ·
οὐκ ἔστιν οὔτε διάβολος γραῦς ἔνδον· καὶ ἐπὶ τῆς κατηγορίας, ὡς Δημοσθένης ἐν
τῷ περὶ τοῦ στεφάνου φησίν· ὁρῶ γάρ, ὅτι τὰς αἰτίας καὶ τὰς διαβολάς, αἷς ἐκ
τοῦ πρότερον λέγειν ὁ διώκων ἰσχύει. Atque calumniae quidem notio obtinet
in tractatu, quem περὶ τοῦ μὴ ῥαδίως πιστεύειν διαβολῇ Lucianus conscripsit;
sed ut iudicialem accusationem sive criminationem apud Theophrastum in-
telligamus, efficit Aristotelis auctoritas, quem supra huius usus testem
attulimus.

His iam profligatis singulos Theophrasti libros denuo in animum placet
revocare atque secundum argumenta, quae in iis pertractata sunt, disponere.
Atque ad universam dicendi artem duo libri videntur pertinuisse, qui
titulis τέχνη ῥητορική et παραγγέλματα ῥητορικά inscripti erant, cf. p. 53. De
orationum generibus egerunt itidem duo ἀγωνιστικὸν ἢ τῆς περὶ τοὺς ἐρι-
στικοὺς λόγους θεωρίας et περὶ δικανικῶν λόγων cf. p. 23 et p. 62. Ad doctri-
nam de inventione septem eius libros referendos esse arbitror ἐπιχειρημάτων
ά - ιή, cf. p. 24., περὶ ἐνθυμημάτων, cf. p. 34., περὶ παραδείγματος, c. p. 58.,
περὶ ἐνστάσεων ά, β', γ', cf. p. 27., περὶ διαβολῆς p. 63. λύσεις, cf. p. 54., et περὶ τῶν
ἀτέχνων πίστεων, cf. p. 32. Porro ad dispositionem spectarunt Theophr.
περὶ προοιμίων et περὶ προθέσεως καὶ διηγήματος libri, de quibus a nobis p. 55.
et p. 57. est expositum. Maximam autem sollertiam comprobavit ille in libris
de elocutione; ac totam rem videtur comprehendisse libro περὶ λέξεως,
cuius multa quae supersunt fragmenta inde a p. 37. usque ad p. 53. enume-
ravimus ac disposuimus, singularem autem eius partem retractavit volumi-
nibus duobus, quae inscripta erant ἀνηγμένων λόγων εἰς τὰ σχήματα ά, β', cf.
p. 33. Denique de pronuntiatione praecepit in libro περὶ ὑποκρίσεως,
cf. p. 61. Postremo loco eius θέσεων libri viginti septem sunt commemo-
randi, de quibus inde a p. 27. disseruimus, quae orationes quoniam probarunt
Theophrastum ea quae de dicendi arte praeciperet, ipsum etiam exsecutum esse,
neque solum eum discipulis magistrum, verum etiam exemplum fuisse, summam
eius scholis rhetoricis apud veteres paraverunt famam atque auctoritatem.

Nach-